



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita B. Matris Teresæ, De lesv Fvndatricis Monasteriorvm  
Monialivm & Fr. Carmelitarum discalciatorum ex prima  
regula**

**Ribera, Francisco de  
Moguntiæ, 1603**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43365**



Th. 2482.

K  
41  
27



1072

VITA  
B. M A T R I S  
T E R E S Æ,

D E I E S V F V N D A T R I C I S  
M O N A S T E R I O R V M M O N I A L I V M  
& Fr. Carmelitarum discalciatorum ex prima  
regula, translata ex lingua Hispanica in Italicam

P E R R E V E R E N D I S S.  
J O A N N E M F R A N C I S C U M  
Bordonium, congregationis oratori Archiep.  
& viceliquatum Aninonis,

Nunc verò ex Italica in Latinam  
translata,

P E R R. P. A N T O N I V M R E R B E K I V M  
Louvaniensem, S. Th. Doct. O d. Eremitarum S. Augustini,  
Priorum Mogunt. & Vicar. Generalis per Pro-  
vinciam Rheni & Suevia.



Sor. JESU Paderbornæ.  
Moguntiæ, Typis Ioannis Albini.

ANNO M. DCIII.



REVEREN-  
DISSIMO AC  
JLLVSTRISS. PRINCIPI  
DOMINO, DN. IOANNI ADAMO,  
S. Sedis Moguntinæ Archiepiscopo, Sacri Ro-  
mani Imperii, per Germaniam Archican-  
cellario Principi Electori, &c. Do-  
mino suo clementis-  
simo.

**S**Vauiter Deo omnia dispo-  
nente, Reuerendissime ac  
Illustrissime Princeps: Vita  
Beatæ Matris Teresæ de Ie-  
su mihi eum in finem oblata fuit; vt tan-  
dem ex lingua Italica in Latinam trans-  
ferrem: quam cùm semel atque iterum  
relegissem, ita suauiter in ea septem vo-  
cum concentum bene sonantem men-  
tis mǣ auribus audiui, vt præ gaudio  
lacrymas aliquoties continere nequi-  
uerim, cùm in ea non nisi diuinum spi-  
ritum in Psalterio decem cordarum, se-  
ptem vocum concentum suauem so-

A 2 nantem

E P I S T O L A

nantem conspexerim ; hinc neque ego  
prætermittere potui , quin dulcem mo-  
dulationem bene sonantium vocum in  
eius vita resonantem , modo quo pos-  
sum meliori breuiter demonstrem , quò  
cognosci aliqualiter possit , quid in ea-  
dem contineatur , vtque eius exemplo  
prouocati ita viuamus , vt tandem eō  
peruenire possimus , vbi illa modò diui-  
na fruitur visione . Concentus itaque  
primæ vocis diuinæ Maiestatis intonuit  
Propheta attestante Psalm. 28. Super  
aquas easq; multas , abundantiam aqua-  
rum maris rubri excedentes , per quas  
non solum filij Israël saluati sunt , verùm  
totum genus humanum modo saluari  
& renasci debet , quæ in beata matre Te-  
resa tantam renascendi vim habuerunt ,  
vt legitur Cap. 10. vt etiam lacrymæ  
aquarum ita suaves deuotissimæq; ex  
eius oculis corporeis profluxerint , vt  
resistere nullo modo potuerit , ex qui-  
bus anima ipsius ita mitificè consolata  
fuit , vt nihil superesse putauerit , quod  
desiderari possit . Quam vocem , quæ est  
in magnificentia , subsecuta est cap. 20.

Nam

## DEDICATORIA.

Nam sicuti vox Patris in magnificentia  
audita est, dicentis: *Hic est filius meus*  
*dilectus, &c.* Ita & illa per extasim ele-  
uata, ad contemplandum Dei magnifi-  
centiam & maiestatem fuit, & hoc me-  
diante voce virtutis diuinæ, qua illi tuā  
omnipotentiam demonstrare dignatus  
est, & quo illud fiat modo, in prædicto  
capitulo videre licet, vbi mirabilia &  
notata digna quedam refert, describen-  
do effectus, qui in anima relinquuntur,  
ex in Deum eleuatione & raptu, vnde  
tunc exclamando dicit: *Quis mihi da-*  
*bit pennas sicut columbae, ut ascendam*  
& requiescam: ex cuius omnipotentia  
postmodum per vocem confringentis  
cedros libani superborum ac sublimi-  
um sibi in fundatione monasterij Sancti  
Josephi contradicentium corda humi-  
liando deuicit ac prostrauit, ex qua eru-  
puit vox intercidentis flamمام ignis,  
dum anima ipsius vigilauit, sicut passer  
solitarius in tecto, quod quomodo in-  
telligatur cap. 20. describitur, & expli-  
catur per illud Apostoli vbi ait, ego cru-  
cifixus sum mundo, &c. Contradi-.

A 3 cendo

E P I S T O L A

cendo postea & illis resistendo qui voluerunt ut in montem transmigraret sicut passer, montem dico qui latronum & serpentū solet esse domicilium, quod videtur adimpletum Cap. 23. vbi Diabolo attribuere conabantur, quod à solo Deo proueniebat. Hinc vox concutientis & commouentis desertum Cades Cap. 32. quando etiam illa in spiritu in loco inferni quem ob eius peccata promeruerat, posita fuit. Quam tandem subsecuta fuit vox preparantis ceruos, (fontem verum essentiæ diuinæ, fontem dico aquarū in trium personarum confessione desiderantes eiusque vocem audientes) qua diuinitus in raptu à Domino hanc audiuit vocem. O Anima nolo ut in posterum cum hominibus tua sit conuersatio, verum cum Angelis, ad quorum consortium Illust. Cels. tuam, & nos omnes perducere dignetur, qui est via, veritas & vita Amen. Vitam itaque beatæ Matri Teresæ de Jesu per eandem ex mandato diuino eiusq; superiorum iussione descriptam & per me ita translatā Illustrissime Prin-  
ceps

## DEDICATORIA.

ceps, dum mecum diu animo reuoluerem, cui nam meritò illam dedicare debarem, statim mihi in mentē venit quomodo prima vice Anno 1588. in lingua Hispanica Imperatrici oblata fuerit. Secunda vero vice in Italicam versa per Reuerend. Ioan. Franciscum Bordoniū Archiepiscopum & Vicelegatum Aunionis, summo Pontifici Clementi 8. dedicata ac Romę approbata & impresa anno pr̄terito 1601. vnde optimo iure mihi conuenire iudicauit, vt nemini eandem deuouerem quam Illust. C. T. omni qua possum demissione interea rogando, vt me meosq; confratres sibi commendatos habeat. Moguntiæ ex nostro monasterio sancti Augustini 5.  
Decembris 1602.

*Reuerendiſ. & ILLUSTRISS. CELS. T.  
humilis Capellanus,*

*Fr. Antonius Kerbekius Louaniensis Prior indignus.*

A 4 Ad

## Ad Lectorem.

X B.Matris Teresæ vita,  
disce quid sit leonem videre  
in via. Timendo namq; prui-  
nam, obrueris niue, & tacendo & cla-  
mando tua inueterascent ossa, hinc san-  
guis sanguinem tanget. Tu igitur cum  
ceruo ad fontem curras aquarum, ut à ser-  
pentum veneno pro salute animarum li-  
berari possis. Et ante Dei conspectum  
una cum Matre Teresa apparere queras.  
Vale.

I N

# IN COMMEN- DATIONEM VI- TÆ B. VIRGINIS ET MATRIS TERESÆ FVNDATRI- cis Monialium & Fr. Carmelitarum discalciatorum: ex Italico sermone, per Reuerendum & eximium in Christo Patrem, Antonium Kerbekum SS. Theol. Doct. familiæ Augustinen- sium per Prouinciam Rheni & Sueviæ Vica- rium Generalis, & Priorem eiusdem Mo- guntiæ, in Latinum trans- latæ.

*Proœmium scriptum*

à

VALENTINO LEVCHTIO  
Doct. Theol.



VAMVIS ab omnium virtutum excellentia, B. Virgo Teresa merito commendari posset, tamen eam à singulari eius continentiae & Virginitatis perfectione, ex qua cœu uberrimo fonteretiquæ omnes virtutes, quasi purissimi riuali dimanant, paucis h̄ic collaudare mihi visum fuit, per quam in carne corruptibili, incorruptionis perpetuae semper habuit meditationem, quam equidem non ex proprijs viribus, sed singula- ri Dei dono obtinuit, iuxta illud (Sap. 8.) non ero

A s con-

## Proemium in vitam

continens, nisi Deus dederit, ad cōsequendum regnū  
cōlorum, Matth. 19. Sicq; optimam partem cum  
Maria elegit, quæ etiam ab ea non ablata est (Luc.  
10.) memor semper illius dicti Ecclesiast. 26. Omnis  
ponderatio non digna est continentis animæ: Virgi-  
nitas siquidem seu continentia Virginum thesaurus  
est impreciosus. De quibus loquitur D. Paulus  
2. Corinth. 11. Despondi vos uni viro, virginem ca-  
stam exhibere Christo: & alio loco (1. Corinth. 7.)  
Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt.  
Excellentia huius præclare continentiae seu virginini-  
tatis à SS. Patribus plurimum passim commenda-  
tur. Scribit enim S. Ambrosius libr. de viduitate:  
Supergreditur virginitas conditionem naturæ hu-  
manæ, per quam homines Angelis assimilantur,  
maiortamen est victoria virginum, quam Angelor-  
um; Angeli enim sine carne vivunt, virgines in  
carne triumphant. Cyprian. lib. de virg. inquit:  
Virginitas est soror Angelorum, victorialibidinum,  
regina virtutum, possessio omnium virtutum. Ca-  
stitatis & virginitatis, ait Cyrillus, cogitatio, Spi-  
ritus sancti doctrina est, reddens hominem Deo si-  
millimum. Sicuti autem Sancti Doctores duplicem  
virginitatem constituere soleant, unam mentalem  
alteram corporalem: ita Beatam hanc nostram  
Virginem Teresam utramq; habuisse verè affirma-  
mus. Nam nullo doli ambitu sincerum cordis affe-  
ctum adulterauit, mente humilis semper extitit,  
non alta sapere cogitauit, non de suis viribus præ-  
sumpsit, non per elationem super alios sese extulit,

sed

## B. Virg. Teresæ.

sed potius se ad suæ exiguitatis considerationem accommodauit: verbis & sanctis monitis fuit grauis, animo prudens, legendi sacros libros studiosa, iussa superiorum exequendo parata, in cultu diuino sedula, in vietū sobria, non lenis, non iocosa, non turpium verborum amatrix, &c. Sed hanc virginitatem & continentiam suam uno & soli Christo sponsos suo consecravit; primum per loci solitarij electio-  
nem, vitabat enim communes aliorum societas & conuersationes, intra se met ipsam & intra mo-  
nasterij sui sepes manere & habitare consueuit. Deinde per voti emissionem, quem enim ordinem  
elegit, ad illum votum emisit, in illo firmiter & ad  
vitæ finem permanxit, corpusculum suum ieiunio  
frequenti, oratione indesinenti, eleemosynarum lar-  
gitate, cæterarumq; omnium virtutum exercita-  
tione perpetuò maceravit: Rectè igitur assimilari  
potuit altissimo & pulcherrimo Cedro, qui est viro-  
ris gratissimi, ita continentia eius Deo & Angelis  
fuit gratissima; Cedrus est odoris efficacissimi cuius  
odor serpentes venenatos fugat, & homines recreat:  
ita suavis odor continentia & aliarum virtutum  
huius sanctissimæ Virginis Tereſæ dæmones depulit,  
hæreses extinxit, & Angelos, quibus nota & cognata  
fuit, delectauit: Cedrus est suavissimi saporis, sic  
hæc B. Virgo fuit suavis, mitis, dulcis & grata Deo,  
Angelis & hominibus. Assimilari etiam B. Vir-  
go Tereſa potest Rosæ, ratione decoris eius, quæ pul-  
chritudine sua visum mirabiliter pascit; sic hæc B.  
Virgo in oculis Dei, Angelorum & hominum, in-

expli-

## Proœmium in vitam

explicabilem pulchritudinem habuit, nam de ea  
merito dici potuit ( illud Sap. 40.) O quam pul-  
chra est casta generatio cum claritate. Deinde ra-  
tione odoris, quo olfactum afficit: ipsa autem tota  
cunctis virtutibus odorifera fuit, cuius odore re-  
pleta est domus eius conscientiae, domus Ecclesie Dei,  
domus omnium ordinum & Monasteriorum, &c.  
Postremo ratione suavitatis, quia tactum lenit: ita  
hæc virgo Christum sponsum suum apprehendit,  
tetigit & speciali unione ipsi inhæsit, cui iam in cœlo  
familiarius coniuncta est, sequitur ipsum cum alijs  
virginibus, quocunque ierit Apoc. 14.

Hac eadem B. Virgo assimilari etiam poterit  
violis, quæ sunt natura frigidæ, aquosæ & odoriferæ:  
ita hæc ipsa B. Teresa frigida fuit à concupiscentia  
carnis, aquosa per continuas lachrymas devotionis  
& pœnitentie, odorifera per exempla honestatis,  
regularitatis & castitatis. Et notandum quod  
violes suo odore calorem mitigant, spiritum anima-  
lem confortant, & somnum pronocant: ita hæc B.  
Virgo Teresa suo suavi odore odorem carnis refri-  
gerauit, spiritum confortauit, & ad somnum, id est,  
quietem contemplationis disposit & preparauit.

Præmium huius B. Virginis Teresa, aliarumq;  
continentium virginum, Salomon explicat, ( Sa-  
pient. 6.) nimirum quod incorruptio proximum fa-  
cit Deo. Et S. Hieronymus (3. Part. ep. 17. ad De-  
metriadem) pudicitia seruat Martyrium suum,  
& fructus virginum est centesimus, &c. Studeant  
ergo personæ religiosæ, quarum vocatio & status re-  
quirit

## B. Virg. Teresæ.

quirit perpetuam mentis & corporis integritatem,  
ut sint sicut alti cedri, virtuose, & meritorum effi-  
caces, & coronent serosis & violis, odore, sapore &  
decore inuiolatae & incontaminatae continentiae, ca-  
stitatis, & virginitatis, ut cum B. Virgine Teresa  
Deo proximæ esse possint, & centesimum fructum  
cum omnibus electis virginibus perfui queant.

Laudanda est igitur prompta voluntas & singu-  
laris industria Reuerendi & Eximiij in Christo Pa-  
tris Antonij Kerbekii SS. Theol. Doct. quam im-  
pendit in B. huius Virginis Teresæ vitæ translatione;  
eam nunc Oriens & Occidens magno fructu &  
iuxta eiusdem exemplum vite emendatione legere  
poterit, Deus qui cogitationes & labores hominum  
considerat, præmio insigni, gloria & honore

Auctoris vigilias rependere di-  
gnetur, Amen.

S A N-



S A N C T I S S I M O E T  
beatissimo Patri Clementi  
octauo.



V L T I SVNT ANNI BEATIS-  
sime Pater, quod inter variam mul-  
taque opera spiritus, quæ nostra  
in Hispania protulit ætas, inter  
manus meas venerint illa Matris  
Teresæ: quę cùm legissem sæpius, non sine ali-  
qua attentione, in illis diuinæ sapientiæ reperi  
thesaurum, vnde illum non parum mundo pro-  
futurum iudicaui: certò mihi persuadendo ex  
singulari spiritus sancti prouidentia ipsius ope-  
ra, hisce nostris temporibus in lucem prodiisse,  
eum in finem, vt charitatis flama in multis ex-  
tincta, in aliquibus propter defectum luminis  
labefactata, accendatur. Et verè ita est, cùm vi-  
deamus virginem nobilem, multis infirmitati-  
bus subiectam, contradictionibus & passioni-  
bus oppressam, tale deuenisse efficax instrumē-  
tum, ad obtinendum à Deo eiusmodi singulares  
gratias, vt fundauerit mirabili cum disciplina  
virginum ordinem, Carmelitarum religionem  
in Hispania reformauerit, quorum nunc aliqua  
loca etiam in Italia extant, multi ab eorum vita  
peruersa conuertantur, vt credere debeamus,  
quod Deus Opt. Max. donis singularibus illorū  
corda repleteat, idq; principaliter pro Religio-  
rum beneficio, & totius vniuersalis ecclesiæ:  
vnde etiam fit, vt non sine ipsius nostri intelle-  
ctus

ctus & voluntatis fructu ad eius scripta saepius  
legendum accendamur: eum in finem, ut con-  
tra nostros prauos affectus & passiones, perfe-  
ctam obtineamus victoriam, atque in via per-  
fectionis progrediamur. Non sine ratione igi-  
tur, cum ex lingua Hispanica in nostram trans-  
tulerim vitā p̄dictę Matris Teresae pro maio-  
ri totius Italiae commoditate, eam tuę Sancti-  
tati offero, cùm omnia media à Spiritu sancto  
ad piscandum inspirata, non possunt non ma-  
gnopere aestimari, ab eius vero successore & le-  
gittimo, ab illo dico, quem Christus à piscium  
piscatore, fecit hominum piscatorem, & supre-  
num gregis sui pastorem constituit. Cùm opti-  
mè sciam S. B. ex inuentionibus quò numerus  
seruorum Dei crescere possit, summopere leta-  
ri; securè sperans, quod tantæ mulieris dili-  
gentia & labor, magnam illi p̄ebabit consola-  
tionem, sed non minus erit istius virginis gau-  
dium, videndo eius opera à tua sanctitate bene-  
dicta, cuius humiliter sanctissimos deosculor  
pedes. Ex Auinione.

T. S.

*humillimus seruus*

*Ioannes Franciscus  
Bordonius.*

Approbatio  
ILLVST RISSIMI  
ET REVERENDISSIMI  
*Domini Cardinalis Ba-  
ronij:*

Ad requisitionem admodum Reue-  
rendi Magistri Sacri Palatij accuratè vi-  
di præsentem librum Reuerendæ Ma-  
tris TERESÆ de JESV, qui mihi sanam  
videtur continere doctrinam, & ma-  
gnam ædificationem.

EPI-

EPISTOLA  
ADMODVM RE-  
VERENDI P. ANTONII  
Possevini Societatis  
J E S V,

*AD R.P. BARTHOLOMÆVM  
Mirandam Magistrum sacri  
Palatij.*

**C**I R C A opera Matris Teresæ de Jesu, placuit R. suæ Paternitati me requirere ut legerem, daremq; in hoc meum iudiciū, si in lingua Italica imprimi deberent. Primo dico me suę diuinę Maiestati humiles agere gratias, quod huiusmodi medio dignata sit, occasionem mihi præbere, vt illa viderim : sentio enim quales fructus inde percipere potero, si alioqui ad illas sanctas & pias adhortationes attendere voluero. Deinde ego iudico, ad magnam Dei gloriam futurū si in lingua Italica imprintentur, ex quo Spiritus sanctus cor, & scribendi calamū istius virginis ita dirigit, vt non aliud, quam in salutem animarum, specialiter

B Reli-

Religiosorum & Religiosarum, admirabilis quedam vtilitas expectanda sit. Sinceritatem illam , humilitatem, spiritus prudentiam qua scribit, effectus qui subsequuti sunt, & indies subsequuntur, eius vitæ sanctitatem , lucidissimum propoundingi modum , altissima quæq; & eminentissima explicando, omnia illa, prout teneo, Deus Opt. Max. ex speciali gratia exhibere hisce vltimis temporibus voluit , vt inde corda fidelium ad cœlestia meditanda excitentur , ad mundi contemptum animentur: & aduersa non timantur, dummodo per orationem cum Deo viuimus: qui dignatur nos illuminare & inflammare per eiusmodi occasionem. Translatio est plana, facilis, & facta cum spiritu per piam & religiosam personam. Ex nostris ædibus 20. Januarii 1592.

*S. R. P. seruus in  
Christo*

*Antonius Possevinus  
Societatis Iesu.*

J M P E-

IMPERATRICI NOSTRÆ  
DOMINÆ.

Prouincialis & ordo Carmelitarum  
discalciatorum.

**B**EATA Mater nostra Teresa de Iesu, instinctu diuino mota, pro instructione monasteriorū, quæ ipsa secundum primam sui ordinis regulam & institutionem fundauit, aliquos pios eruditione & spiritu plenos descripsit tractatus, qui cum examinati essent, illos pro animarum salute futuros utilissimos indicarunt, quos nunc ut gemmam preciosam quam habemus, tuæ Maiestati offerimus, quo sub umbra tua Regia in lucem prodiens eam confidentes in precio habeant, & pro eo, quod est, illam aestiment, idq; ea ratione cum opera illa magna, mulieris sanctæ, tuæ Maiestati debeantur, ut quæ reliquos omnes, non minus in sanctitate quam magnitudine præcellit. Deus conseruet suam Maiestatem. Ex Madrid 10. Aprilis Anno 1588.

Prouincialis.

B 2



*Spiritus intus alit, lustrat, docet, instruit, ornat  
Hinc vigeo, cerno, scribo, ago & eniteo.*

VITA

# VITA MATRIS TERESA.

Ptarem, vt sicuti mihi datum est, & data plenaria licentia describendi orationis modum, & gratias mihi à Domino datas, etiam ex eadem mihi concessa sum esset, minutissimè, & clare peccata mea referendi; id quod magnam mihi adferret consolationem, sed talis mihi licentia potius limitata est: hinc per Dei amorem rogo omnes, vt qui Vitæ meæ discursus legent, præ oculis vitam meam antea Etiam habeant, quæ talis fuit, vt haec tenus nullam alicuius sancti, qui ad pœnitentiam rediit historiam inuenierim, ex qua consolari potuerim. Considerando enim illorum vitam, non inuenio, quod, postquam à Deo vocati fuerunt, denuò Deum amplius in tantum offenderint; Vbi ego non solum peior sum effecta, sed potius vt mibi video, restiti & renui habere gratiam à sua

B 3 Maies

Maiestate mihi concessam , ita quod cùm  
me magis , magisque viderem obligatam  
ad seruicium suæ diuinæ Maiestati, eo mi-  
nus id quod debebam persoluerim. Sit be-  
nedictus semper , qui in tantum me expes-  
tauit; quem modò suppliciter rogo, vt su-  
am mihi gratiam contribuere dignetur,  
quò in veritate & claritate referam, quod  
mihi mei confessarij per obedientiam man-  
darunt , cùm id etiam Dominus ita fieri  
voluerit, verum non audebam. Faxit vt  
sit ad Dei gloriam & laudem, quò meæ  
sorores cognoscendo debilitatem meam in  
eum finem me adiuuent, vt Deo aliqua ex  
parte , prout debeo, inseruiam , qui ab  
omnibus creaturis sit benedi-  
ctus semper, Amen.

( ∵ )

VITA



VITA  
B. MATRIS  
TERESAÆ,

C A P. I.

*In quo tractatur quomodo Deus illam, dum ad-  
huc puella esset, ad virtutem excitauerit, &  
quid in eo præstent parentes virtutibus præ-  
diti.*

**A**B E R E parentes virtutibus præditos, & Deum timentes, mihi ad pietatem excitandam suffecisset, maximè fauore diuino adiuncto, quem mihi concedebat Deus, si alioqui tam malæ vitæ non fuisset. Pater meus in lingua vulgari delectabatur legendo bonorum authorū libros, ut & eius filii eosdem legerem posse. Diligens matris meæ cura erat, ut me eò dirigeret, quatenus deuota essē gloriose virginis Mariæ, & aliquibus sanctis, hinc aliquas orationes me docuit, idq; ut mihi videtur, dum essem sex vel septem annorum. Insuper mihi nō parum profuit, cùm non viderim in parentibus meis nisi exempla virtutum, quibus prædicti erant. Pater meus erga pauperes magnam semper ostendit charitatem, & infirmorum diligen-

B 4 tem

2 VITA MATRIS TERESÆ,

tem habuit curam, nec non circa famulos, ita quod nunquam in domo sua voluerit habere mancipia, quia plurimum ipsis compatiebatur, & cum in ædibus fratris sui eiusmodi videret, tantum ei amorem ostendit, non secus atque proprius eius filius fuisset. Nunquam ipsum audiui iurare, vel de aliquo murmurare. Honestissimus supra modum. Mater similiter multis erat praedita virtutibus, licet maiori ex parte semper infirma fuerit, & quamvis admodum esset formosa, honestatē perpetuò coluit. In hoc tota fuit, ne alicui mali alicuius occasione præberet. Imò quando tantum esset triginta annorū cum moreretur, talem seruauit grauitatem & modestiam, quasi iam maturioris ætatis fuisset. Fuit admodum modesta, grata, & magni ingenii, magnasque perpessa est molestias, quas patienter sustinuit, & admodum piè mortua est. Eramus tres sorores & nouem fratres, & omnes, me excepta, illorum virtutes imitabantur, licet cæteris magis ab illis amarer: & antequam incipiebam offendere Deum, videbar aliquod habere pietatis specimen; vnde nunc grauissimum in corde meo sentio dolorem, quando cogito bonam naturæ meæ inclinationem, quam Deus mihi contulit, & quam parum in ea profecerim, ideoq; quam maximè, quia fratres mei nullum mihi impedimentum præbuerunt, quod minus Deo inseruire potuissent.

Erat unus meæ ætatis, & simul vitas sanctorum legere incepimus, illi magis quam cæteris

teris afficiebar, licet nihilominus ab omnibus  
diligerer, & ego reliquos mediocriter. Quando  
sanctorum martyria, quæ pro Dei amore susti-  
nuerunt, legebam, iudicabam illos paruo pre-  
cio cœlum & Dei fruitionem sibi comparasse;  
hinc eodem modo mori desiderabam, licet non  
ex more, quem in Deum habebam, vt mihi vi-  
detur, sed vt breui, tanto bono frui potuisse,  
quale in Paradiso esse saepius legeram; de quo  
aliquoties fratris meo locuta, & tractando quo-  
modo, quod desiderabam consequi possemus,  
& simul discurrendo ad ipsos Mauretanos pere-  
grinari statueramus, & pro amore Dei eleemo-  
synam petere, vt in eorum patria decapitari &  
mori possemus: & videbatur, quod Deus in hoc  
nobis dederit animum sufficientem, si in illa  
ætate medium aliquod conueniens inuenisse  
potuissimus, sed habere patrem & matrem, mi-  
hi magnum videbatur esse impedimentum.  
Non paruum mihi metum incussit, quando au-  
diebam & legebam, esse pœnā sempiternam, &  
gloriam, & in eo multum temporis insumpsi-  
mus, & delectabamur eadem saepius repetere,  
& in eo Domino inferuiebamus, si alioqui illud  
iter veritatis mihi in illa puerili ætate impres-  
sum remansisset. Videndo postea fore impossi-  
bile, vt eò proficiscendo occideremur, designa-  
uimus nobis vitam eremiticam, & in quodam  
horto domus nostræ procurauimus nobis, qua-  
liter Eremitorum cōstrueremus, hinc ponen-  
do lapides paruulos, vnum scilicet supra alte-

B s rum,

## 4 VITA MATRIS TERESA,

rum, statim cadebant, & sic nullum nobis remanebat remedium, quò quod desiderabamus asequi possemus, id quod in me modo magnam excitat deuotionem, ex quo Deus tantam mihi contulerit gratiam à principio, quam statim mea culpa perdidi. Faciebam vt poteram eleemosynas, sed admodum tenues quia parum poteram. Studebam esse solitaria quo recitarem meas deuotiones, maximè rosarium: cui mater multum erat deuota, & sic etiam nos instruxerat. Multum delectabar quando inter ludendum ego cum alijs puellis faciebam Monasteria quasi Moniales fuissimus, & videtur quod tunc desiderauerim esse, licet non in tantum, quantum martyrium desiderabam, & vitam Eremiticam.

Recordor me fuisse duodecim annorum, dum mea mater moreretur, & incipiebam cognoscere quantum perdiderim, & cùm inde affligerer, accessi ad quandam imaginem beatæ virginis, infinitis lacrymis orans, vt ipsa dignaretur esse mater mea: id feci, vt mihi videtur, ex quadam simplicitate, attamen mihi profuit, quia experientia didici, quod illa materno amore, me ipsi commendando, vltimo me ad se traxerit. Crucior modo videndo & quærendo causam ob quam in illis beneficijs non perseuerauerim vti inceperam. O Domine Deus postquam determinaueris saluare me, placeat tuæ diuinæ Maiestati eiusmodi mihi gratias concedere: quales tunc mihi concessisti. Sed quare

pro

## CAPITVLVM I.

5

pro maiori tua gloria, non potius tibi complacuit, quām pro mea vtilitate, vt domus illa in qua continuo habitare voluisti, non fieret immunda? Affligor Domine istud dicendo, sciens mea culpa id prouenisse, quia in tua Maiestate defectus nullus fuit, quin potuerim in illa ætate omnimodè manere tua, & si forsitan vellem conqueri de meis parentibus, non possem, quia in illis non nisi bonitatem reperi, & versus me omnis boni desiderium. Postea excedens eam ætatem, & incipiendo cognoscere gratiam naturalem mihi à Deo datam, quæ secundum quod alij referunt, magna erat, & vbi ego per illam debuissem Deo gratias agere, in omnibus illis Deum offendere cœpi, sicuti modo dicam.

## C A P. I I.

*Refert quomodo paulatim prädictas virtutes perdiderit, & quantum iuuat in adolescencia, cum bonis & virtute prädictis conueneri.*

**V**I D E T V R multum mihi damni intulisse, quod modò referam, & mecum considero, quām male faciunt parentes, qui non student, vt eorum filij se se semper in omnium virtutum genere exerceant: nam licet mater mea virtutibus fuerit ornata, vt dixi, parum tamen boni veniendo ad usum rationis didici, imò quasi nihil, & vbi videbam malum, in tantū profeci, vt multum mihi nocuerit.

Mater

VITA B. MATRIS TERESÆ,

Mater afficiebatur in legendis libris equestris dignitatis, sed non tam malè tempus in illis consumpsit sicuti ego : quia forsitan faciebat, ut non semper de suis cogitaret molestijs, vt que suos filios occupatos teneret, & ne peiorarent. Sed hoc multum patri displicuit, ita quod ipso inscio, ne videret, legere debuerimus. Ego in consuetudinem duxi, ut illos saepius legerem, & paruus ille matris meæ desetus fecit, ut bona in me desideria minuerentur; & in omnibus deficere cœpi. In legendis illis libris multas diei & noctis horas consumpsi, licet hoc pater ignoraret, & ita addicta illis fui, ut nisi nouos libros habuissem, non sentiebam me contentam. In vestibus incœpi esse vaga, & apparere multo studio manibus ornata, in capillis & rebus odoriferis, & in omni vanitate, cum fuerim curiosissima, quamuis malam non habuerim intentionem, neque desiderium, quod alicui occasionem præbere voluerim, in Dei offensam cadendi. Multis annis in superflua munditia nimis curiosa extiti, nullam mihi in eo faciendo conscientiam, cum modò videam id sine peccato non fuisse. Aliquot habebam nepotes, alijs enim personis domum nostram ingredi non licebat, erat enim pater meus admodum prudens, & sic etiam Deo placuit, ut alij non ingrederentur: Nunc enim video periculum, quod tunc imminebat, quando, cum virtutes sint plantandæ, incipiunt in aliquâtate cum eiusmodi conuersari hominibus, qui

qui potius alios ad malum incitant. Erant qua-  
si eiusdem ætatis omnes, & plerunque simul e-  
ramus. Me multum amabant, & in omnibus  
quærebam, vt mecum conuersarentur. Audie-  
bam ex illis amoris quosdam successus, & alia  
puerilia non admodum bona; & quod peius  
est, anima mea assuescebat illis, quæ occasio-  
nem mali dabant. Si alicui bonum meum vi-  
deretur consilium, dicerem parentibus, vt in  
ea ætate paulo diligentiores essent circa perso-  
nas, quibuscum eorum filij conuersantur, in eo  
enim multum consistit, cum potius nostra na-  
tura ad malum inclinatur, quam ad bonum, vt  
mihi accidit. Dum in domo nostra haberem  
sororem, virtutibus deditam, & ætate me maio-  
rem, ego tamen per eius honestatem & bonita-  
tem, licet magna esset, parum boni didici:  
Sed omne malum mihi prouenit à quadam mea  
consanguinea, quæ in ædibus nostris conuer-  
sabatur, illa in moribus leuis erat, & conuer-  
satione, voluit mater vt longè à nobis abesset,  
prævidendo malum, quod ex eius leuitate euen-  
turum erat; sed tantam intrandi habebat com-  
moditatem, vt impediiri non potuerit. Delecta-  
bar in eius conuersatione, & cum illa magnam  
habebam familiaritatem, inutiliter tempus  
transigendo, imò me prouocabat, participem  
me reddendo suæ vanitatis & conuersationis.  
Quatuordecim eram annorum, quando cum  
ipſa cœpi conuersari, & familiaritatem strictam  
habere. Non videtur mihi, quod Déum per ali-  
quod

quod mortale peccatū offenderim , quodq; eius  
amorē perdiderim , quamuis mei honoris & re-  
putationis timorem maiorem habuerim . Timor  
iste hanc in me habuit virtutem , vt omnino ho-  
norem meū non perdiderim ; & mihi videbatur  
nihil in toto mundo esse , quod me ita immutare  
posset , vt habere potuisse amorem circa ali-  
quam personam , quò illi cedere debuisse : vti-  
nam etiam talem habuisse animum , non faci-  
endi quicquam contra Dei honorem , sicuti na-  
turalis mea inclinatio mihi dictabat , timebam  
enim illū perdere , in quo mihi consistere vi-  
debatur honor mundanus , non considerando ,  
quod multis alijs modis & rationibus illum per-  
debā , quò vanum illum honorem cōseruarem ,  
omne adhibui studium , sed medijs ad conser-  
uandum illum necessarijs minimè vtebar , tan-  
tū , ne totaliter illum perderem , omne stu-  
dium impendi .

Pater meus nec non & soror , talem viden-  
tes familiaritatem , egrè tulerunt , & multum  
molestie ex ea acceperunt , me sèpius reprehen-  
dendo , & cùm vellent illi occasionem auferre ,  
domum nostram ne ingredieretur , præcludere  
statuerunt , sed illorum diligentia parùm pro-  
fuit , cùm mea astutia in omnibus maior esset .  
Expauesco dum cogito , quātum damni adferat  
malorum conuersatio , & non crederem , nisi es-  
sem experta . Velle ut meo infortunio paten-  
tes omnes addiscerent , maiorem adhibere circa  
curam filiorum diligentiam ; & sic est , quia per  
talem

## CAPITVLVM II.

9

talem conuersationem ita fui immutata, vt in me nullum reliquerit, naturalis meæ inclinatio-  
nis & virtutis specimen: sed videtur illam mihi  
vna cum alia quadam suos mores leues impres-  
sisse, hilariter semper viuendo, hinc percipio,  
quantum valeat bonorum conuersatio: & pro  
certo teneo, quod si illo tempore cum bonis &  
virtute præditis conuersata fuisset, iam in vir-  
tutibus exercitata essem: nam si in illa ætate ha-  
buissem, quæ me Dei timorem docuisset, anima  
mea vigorem & fortitudinem accepisset non  
cadendi: sed cum Dei timor in me non perman-  
serit, sed tantum timor honoris, quo afficiebar,  
multa contra Deum & honorem meum com-  
misi. In principio quæ iā dixi secundum meum  
iudicium mihi nocebant, & illi culpa non erat  
attribuenda, sed mihi, cum malitia mea fuerit  
sufficiens ad simile malum perpetrandum,  
quamvis etiam non defuerint famulæ, in quibus  
omnem dispositionem ad malum experta sum:  
& si aliqua inter omnes fuisset, quæ mihi ad benè  
faciendum consilium dedisset, fortè profuisset,  
sed ipsæ propter utilitatem propriam & com-  
modum, vt ego per affectum fuimus excæcatæ,  
& cum non fuerim inclinata ad perpetrandum  
mala grauiora, abhorrebam enim naturaliter  
ab dishonestis, sed solum delectabar in transi-  
gendo tempus inutiliter, hilariter cōuersando,  
præsens tamen erat periculum, ex quo liberauit  
me Dominus, ita, vt etiam contra mein vo-  
luntatem factum sit, quia parum abfuit ne in

toto

## 10 VITA MATRIS TERESA,

toto meipsam perdiderim, licet tam secretè omnia fieri non potuerint, quin mea fama non nihil denigraretur & laederetur, & suspectam me haberet pater, qui, dum vix per tres menses in vanitatibus consumpsisset, me in quodam constituit monasterio, quod erat in loco, ubi similes personæ nutriebantur, licet non haberent, tam peruersos mores ut i ego. Magna cum cautela ibidem constituta fui, ita ut me excepta, una cum quadam mea consanguinea nemo sciret, & id factum est, ne, cum soror mea matrimonio iuncta esset, sola in domo paterna remanerem. Erat patris in me amor sine mensura & modo, & mea sagacitas & astutia tanta, ut nullo modo de me male suspicari possit. Itaque cum breve fuerit tempus, quo tali vanitate detinebar, pro certo non credebant, quæ de me dicebantur, & quia timebam meum perdere honorem, omnia secretiori modo faciebam quo poteram: non considerando, quod nihil coram Deo occultum foret. O Deus quantum damni talis persuasio mundo infert, quando putant ea esse occulta, quæ contra te fiunt? Pro certo mihi persuadeo, quod multa vitarentur peccata, eaque grauia, si considerarent, in eo non consistere, si illa sunt secreta, & ab oculis hominum abscondita, sed potius in eo, ne quid fiat quod tuæ Maiestati displiceat. In primis octo diebus multum dolui, & magis ex suspicione, quam habebam, ne scilicet aliquibus mea vanitas innotesceret, si me in monasterio inclusam esse audirent. Posteaquam

steaquam verò me viderem defatigatam , & timorem Dei non penitus dereliquisse , quando illum offendebam , confiteri quam primum studebam, idque sàpius. Primo inquietudinem magnam sentiebam , sed post octiduum magis me in monasterio reperi contentam, quàm in domo paterna. Omnes me ibidem mulieres amabant , quia hanc à Domino habebam gratiam, vt omnes quibuscum cōuersabar, mecum essent contenti, & sic multum amabar, licet tunc non multum monialibus afficeret; nihilominus illarum pietatem videndo lætabar , erant enim honestæ & religiosæ, obseruantes illarum institutum & regulam : Diabolus tamen me intentatam non dereliquit , dando commoditatem extra monasterium , qui ex ciuitate ad me noua perferrent , sed quia tanta opportunitas non fuit, statim finiebatur: & ad me redij , experiendo in me magnam Dei gratiam, quam Deus illis concedit , qui inter bonos conuersantur, vnde diuersis modis Dominus me ad seipsum trahere dignatus est. Sit benedictus in æternum, Amen.

Vnum erat ex quo me aliquo modo excusare poteram, si in alijs culpabilis non fuissim, & erat quod conuersatio quam habebam , fuerit cum quadam persona, cum qua per viam matrimonij, omnia in bonum fine in determinari poterant, & informata à meis confessarijs , nec non ab alijs, dicebat me non multum Deū in illis offendisse. In monasterio iam dicto erat quædam

C monia-

monialis, per quam ut mihi videtur, voluit me  
Dominus illuminare, prout iam dicam.

## C A P. I I I.

*Tractatur quomodo bonorum conuersatio fue-  
rit causa, quod in ipsa bona desideria creue-  
rint, & qualiter Deus inciperit illam illu-  
minare, & viderit in quantum fuit decepta.*

**C**VM inciperemistius Monialis gustare bo-  
nam & sanctam conuersationem, summo-  
pere gaudebā, maximē cūm eā audirem de Deo  
loquentem, erat enim admodum discreta & pia,  
vnde delectabar & libenter auscultabam. Inter  
cætera mihi retulit ob quam causam facta esset  
Monialis, scilicet ex eo quod in Euangeliō le-  
gerit: *Muli sunt vocati, pauci vero electi* Lo-  
quebatur de premio quod accepturi sunt illi,  
qui omnia propter Deum derelinquent. Bona  
ista cōuersatio statim expulit malam illam con-  
suetudinem, & incipi meditari cœlestia, nec  
non illa displicentia, qua nolebam fieri Monia-  
lis penitus abscessit: & quando videbam ali-  
quam orando lacrymari illi inuidetam, quia  
cor meum ita adhuc durum erat, vt si totam  
Christi passionem legissim, ne guttam quidem  
lacrymæ emissem, ex quo magnam in me sensi  
pœnam. Mansi in illo monasterio per an-  
num & medium, & indies melior efficiebar,  
multasque faciebam vocales orationes, & Mo-  
niales rogabam, vt me Deo in earum orationi-  
bus

bus commendarent: quod mihi inspirare dignatur statum in quo illi inferuire deberem, attamen nolebam fieri Monialis, & nullo modo desiderabam, vt tale desiderium mihi inspirasset Deus, licet neque nubere voluerim.

Vltimò dum ibidem diutiùs manerem, paulatim aliquale mihi venit desiderium ingrediendi monasterium, sed non illud, quia videbantur mihi nimis extrema & stricta, quae ibidem obseruabantur, prout postea cognoui, & erant aliquę iuniores, quę me in hoc adiuuabāt, & si omnes eiusdem iudicij fuissent mihi multū profuisset. Sed magis attendebam ad sensualitatem & vanitatem quam ad animę meę salutem. Aliquoties bonas habui inspirationes, vt fierem Monialis, sed statim euanscebant, & nullo modo id mihi persuadere tunc poteram licet non omnino fuerim salutis meę immemor: nihilominus Deus paulatim pro anima mea statum meliorem disposuit.

Incidi in maximam infirmitatem, vnde domum redire coacta sum, posteaquam verò pristinam recuperavi sanitatem, me in domum meę sororis in villa habitantis deduxerunt, quę me summo prosequebatur amore, & quantum in me erat nunquam inde exiuissem: maritus enim ipsius multa mihi amoris signa demonstrabat, vnde etiā ex beneficio illo accepto, me Deo cognoscebam obligatam, cum apud omnes semper grata extiterim, verū ex mea malitia non tantum in eo remansi ingrata, verū etiam in

C 2 omni-

omnibus alijs beneficijs à Deo acceptis. In itinere vicinus erat patruus meus viduus, homo prudens & virtutibus præditus, cui Deus inspirauit, quod pro animæ meæ salute necessarium videbatur. Hic in fine vitæ suæ relictis omnibus, ingressus religionem, ita mortuus est, ut modo æterna, prout credo, fruatur visione diuina. Petijt ut aliquot diebus secum in domo sua manerem. Exercitium eius fuit legere optimos quoque libros vulgares, & maiori ex parte de Deo, & de mundi vanitate discurrere & loqui. Voluit ut eosdem legerem, licet non multum illis afficeret, demonstrabam tamen quod sic, nam in hoc tota eram, ut alijs complacerem, licet & id mihi molestum esset. O Deus, quot modis me voluisti disponere, & ad meliorrem statum vocare, ut tibi inseruirem. Sis benedictus in æternum, Amen.

Quamuis verò ibidem paucis diebus permanserim, nihilominus Dei verbum, quod partim legebam, partim audiebam, adiuncta bonorum conuersatione, ita in me operabatur, ut ipsam tandem aliquando veritatem intelligere cœperim, quæ mihi ab adolescentia fuerat impressa, scilicet ut cognouerim omnia huius mundi nihil esse, & quomodo eius vanitas illico preteriret, & nihil esse præter amare Deum, & sic multum timendo cogitare cœpi: Si ita mortua fuisset, in infernum detrusa essem, non tamen mea mens erat, ut fierem Monialis, quamuis bene viderem, quod status ille melior & securior esset.

essem , & sic paulatim determinabam mecum quatenus vim mihi inferendo statum illum eligerem. In ista pugna tribus permansi mensibus, hisce me cogendo rationibus : Quod pœnæ defatigationes , & vitæ monasticæ obseruationes & disciplinæ, non excederent pœnam purgatorij , & quod iam promeruisse pœnas inferni, quodque parum essem in purgatorio manere, sperando quod postea ad cœlum securè essem peruentura , & hoc meum erat desiderium , & sic eodem tempore statui religionem ingredi, verum ad hoc me potius timor seruilis quam Dei amor mouebat.

Diabolus mihi proponebat religionis onera, ut quæ, cum essem delicata , sustinere illa non possem ; cui per pœnarum quas Christus est passus considerationem restiti , & quod parum essem, si nonnullas ob eius amorem pœnas sustinerem, quodque mihi subueniret , sicuti prout mihi videtur , quod tunc cogitauerim, quia de quo iam vltimo dico non ita benè recordor. Multas istis diebus passa sum tentationes. Ex febris quibus laboraueram , multa mihi deliquia euenerant , ita quod rarius benè valuerim. Quod vero tunc libenter bonorum authorum libros legerim, multum mihi profuit, & vitam instaurauit. Diui Hieronymi Epistolæ mihi placebant, & exinde mecum statui me Patri velle indicare , quomodo resoluta essem religionem ingredi ; & quia in tantum honoris mei rationem habebam, videtur quod nunquam pœnitentia

C 3 nitentia

nitentia ducta, retrogressa fuisse, si semel tantum id patri indicasse: & quia pater me plurimum amabat, eius consensum obtainere non potui, sed neque ad intercessionem eorum, qui ipsi in hac causa ad meam instantiam loquebantur. Aliud nihil ab eo obtainere potui quam quod post mortem eius facerem quod vellem. Ego mihi ipsum cognoscere meam debilitatem, timui ne a bono illo proposito deficerem: unde expediens esse videbatur, ut alia via & ratione id mihi procurarem, hoc scilicet modo, ut iam referam.

## C A P. I V.

*In quo tractatur, quomodo illam Deus adiuuerit, sibi ipsi vim inferendo, ut habitum recipere, & de multis infirmitatibus in quas incidit.*

**I**LLO eodemque tempore stando in eiusmodi deliberatione, cuidam meo fratri persuaseram, ut religionem ingredieretur, demonstrando illi mundi vanitatem, & conclusimus quatenus quodam die summo mane, ad illud iremus monasterium, in quo quaedam amica mea manebat, illi enim monasterio multum afficiebar, licet tamen in ultima mea determinatione ita fuerim disposita, ut in qualecumque ingressa fuisse, in quo melius Deo inferuire potuisse, & ubi patri meo placuisset, posteaquam parum tunc de mea commoditate cogitauerim, sed potius

potius de animæ meæ salute. In veritate recordor, & quod secundum meum iudicium, senserim, ex eundo domum paternam tatum dolore, ut vix crediderim me maiorem debere sentire in mea morte, & mihi videtur, quod singula ossa contra se in uicem in toto corpore concussa fuerint; quia cum non haberem tantum amorem, quo ab amore paterno disiungerer, omnino erā afflita, mihi ipsi vim inferendo, ita ut, si Deus me non adiuvasset, nō fuisset sufficiens mea determinatio iam facta, & ulterius non progressa fuisset: sed Dei bonitas effecit, ut quod mente conceperam executioni dederim. Posteaquam iam religionis habitum suscepisset, mihi Deus ostendit, quantum illis faueat, qui sibi meti ipsiis violentiam inferunt, ut illi inseruant, qualem tamen ad hoc sufficientem in me non reperi, sed tantummodo voluntatem. Magnam in statu religionis habui consolationem & satisfactionem, ita ut in hodiernum usque diem nunquam me pœnituerit, ariditatemque animæ meæ Deus in fœcunditatem & teneritudinem commutauit: Onera religionis summam mihi præbebant delationem, & illud tempus quo me vanitatibus subiicere solita eram, impendebam, scopis domum purgando, summopere gaudens, me ex mundi vanitatibus & illis miseriis liberatam, unde miror, quando ad memoriam illud reuoco, nam scire non poteram, unde id proueniret. Non erat tam difficile quicquam, quod non dubitarem aggredi, dummodo ad illud faciendum

resoluta essem, & in multis iam periculum feceram. Verum quidem est, quod Deus velit, ut aliquem in principio inueniamus difficultatem, quod magis mereamur, quodque anima sentiat aliquem timorem, nam quanto maior est labor, tanto maius est præmium, & Deo magis placet, cum neque aliquid in hoc mundo irremuneratum relinquit, quod solus ille intelligit, qui gusat. Hoc in grauioribus experta sum, ita ut nemini dissuaderem vñquam ob timorem relinquare, quando alicuius boni habet inspiracionem, quia in omnibus potens est Deus, qui est benedictus in sæcula, Amen.

Sufficerent ô summe Deus, gratiæ, quas mihi hactenus concessisti, quibus me ad talem statum ex tua singulari pietate elegisti, in quo multæ sunt deuotæ tuæ famulæ, à quibus addiscere poteram modum, in tuo proficiendi ministerio. Sed nescio quomodo ulterius procedere debeam, quando professionis meæ modum recordor, & sponsalia, quæ cum tua Maiestate feci. Istud sine lachrymis sanguineis esse non debet, quæ cor meum conscinderent. Et respectu offendæ in Deum factæ, non sufficerent. Videtur mihi quod tunc temporis sine ratione tantam voluerim dignitatem, posteaquam eadē sim abusa. Sed tu ô Domine per spatiū viginti annorum, sustinere meam voluisti ingratitudinem, ut inde maiorem consequerer utilitatem. Non videtur mihi aliud ô Domine quām quod promiserim, me nolle seruare quod voluebam, licet

licet tunc illa non fuerit mea intentio , sed talis  
mea fuit postmodum vita , vt nesciam , qualem  
habuerim intentionem , quod vt melius appare-  
at , dico : Quis es tu ô Domine , qui es sponsus  
meus , & quænam , & qualis sum ego , id quod  
quandoque meum temperat dolorem , quem  
sentio ex grauissimis meis peccatis , nec non cō-  
siderando multitudinem miserationum tuarū .  
Sed in quo melius tua summa bonitas resplēdere  
potest , quā in me , quam in tantū operibus meis  
malis obscuram , nec non <sup>in</sup> gratiam , quam mihi  
prius exhibueras ? Heu mihi Domine , creator  
meus & Deus meus , si me excusare voluero , ne-  
scio quomodo facere possim , nam in alios culpā  
reiicere nequeo quam in me , & si in minima  
parte redamassem te , eo amore quo cœpistia-  
mare me , in alium nisi in te amorem coniecisem ,  
quo facto omnia salua fuissent , sed non mere-  
bar , neque tantam gratiam habebam , itaque  
per tuam misericordiam adiuua me Domine .

Mutatio vitæ , nec non ciborum , sanitati  
meæ nocua fuit , quamuis optimè fuerim con-  
tentus , sed hoc non sufficiebat , deliquia enim au-  
gebātur , & magna cordis superuenit infirmitas ,  
ita quod qui me viderēt expauescerent , & mul-  
ta alia adiungebantur , & sic primum annum  
transagi semper in aduersa valetudine , licet  
in illo vt mihi videtur , non multū Deum  
offenderim . Magna erat cura paterna in quæ-  
rendis remediis sed cum sufficientia medico-  
rum in illo loco remedia non darentur , procu-  
rauit

ravit me in alium deduci locum, vbi fama erat, quod ibidem similes infirmitates curarentur. Venit mecum Monialis illa amica mea. In monasterio in quo eram, non erat stricta clausura, & quasi per annum & tres menses in illo loco remansi, magna patiendo tormenta, & remedia quibus utebantur, erant potentissima, ita ut nesciam quomodo perferre potuerim. Debebat cura infirmitati meæ ineunte estate adhiberi, & eo deducta fui circa hyemem, & toto illo tempore in ædibus sororis meæ permansi, de qua ante, expectando mensem Aprilis nec cogere hinc inde proficiisci.

Quando discessi, patrius meus dedit mihi librum vocatum tertium Alphabetum, in quo tractatur, quomodo per orationes mentem nostram colligere possumus, & licet primo anno bonorum authorum libros multos legisse, alijs uti nolebam, cum damnum intellectus, nihilominus in oratione progredi ne sciebam, nec modum inuenire quoniam mentem meam colligere deberem: itaque ex eo magnam habui consolationem, & constitui tecum modum illum seruare & sequi. Cum iam Dominus mihi dedisset donum lacrymarum, nec non in legendō gustum sentirem, incipiebam aliquas habere horas solitarias determinatas, & confiteri saepius, & modum in illo libro contentum sequebar, eodemque pro magistro habebam, cum hactenus nullum inuenissem confessarium qui me intelligeret, licet per viginti annos

annos quæsierim, quod notabile mihi damnum intulit, & retrogrediebar saepius, imò periculum instabat, ne penitus me perderem. Incepit sua diuina Maiestas sub finem istius temporis quo in illa mansi solitudine, tantam mihi concedere gratiam, vt ne ita Deum offenderem, quamuis totaliter non fuerim libera, omnem nihilominus adhibui curam ne peccatum mortale committerem, & vtinam ita per Dei gratiā perseuerasssem semper. De peccatis venialib⁹ parum curabam, & in eo mea consistebat ruinæ occasio.

Incepit mihi Dominus in illo itinere fauere, & tantum ostendere amorem, vt mihi dederit orationis & quietis gratiam, & quandoq; quasi ad vniōnem perueniebam, licet tunc quid vnu vel aliud esset, & in quanto p̄recio illa duo sint habenda non intellexerim, & si id percipere potuisssem, magnum emolumētum sensisse. Verū tam breui temporis spatio illa vnio durabat, vt nescierim an durauerit spatio vnius AVE M A R I A, sed remanebat cum tanto effectu, vt licet non fuerim nisi viginti annorum, videbar me mundum tenere sub pedibus meis, & recordor me magnam habuisse compassionem cum illis, qui mundum sequebantur etiam in licitis. Studebam meliori quo poteram modo, vt semper in me præsentem haberem Dominum nostrum I E S U M C H R I S T U M, & iste erat modus meæ orationis, & si quid cogitabam in interioribus animæ meæ repræsentabatur, licet etiam satis temporis

temporis in legendis bonis libris consumpsim, in quo tota mea consistebat recreatio, non enim Deus mihi dederat talentum per intellectum discurrendi, neq; per imaginationem pro mea utilitate præualere poteram, neque per representationem obtainere meum intentum, representando mihi Christi humanitatem, & ideo bonum est, ut qui per intellectum operari non possunt, primò incipient à contemplatione, si perseverare volunt, est tamen difficile, quia si fortè deficit occupatio voluntatis, & habere res præsentes non possunt, in quibus amor occupatur, remanet anima sine sustentatione, & exercitio, & solitudo magnam illi adfert molestiam, & ariditas animæ & grauissimæ pugnæ causant diuersas cogitationes. Iстis qui ita sunt dispositi, pura conscientia potius conuenit, quam illis qui per intellectum operari possunt: Posteaquam qui discurrit, quid sit mundus, & quantum Deo debeat, pœnas grauissimas quas Christus passus est, & quā parum suę diuinę Majestati inferuiat, & illud quod Deus illis tribuit qui eum verè amant, singularem exinde percipit doctrinam, quo seipsum contra cogitationes defendat, nec non contra peccandi occasionses & pericula, sed qui eo modo non potest præualere, maiorem sentit difficultatem, & conueniens est, ut legendo multum occupetur, cùm per seipsum non possit formare conceptus; & iste modus procedendi est tam difficilis, ita ut si magister qui illum instruit, nō facit instantiam, fine

sine lectione proficere non possit. Dico quod sine adminiculo lectionis faciet talem multo tempore in oratione perseverare, & erit impossibile, ut multum duret, & suæ sanitati nocebit, si alioqui cum obstinatione perseverauerit, quia res est multum difficilis, lectio tamen est magni valoris, ut eius spiritus colligantur, & ita procedendo lectio ipsi est necessaria, licet parum legit, loco meditationis quam facere non potest. Videtur mihi nunc quod prouidentia Dei factum sit, quod non inuenierim qui me doceret, cum meo quidem iudicio impossibile fuisset decem & octo annis perseverare, eram enim in illis molestijs constituta, & ariditate, ut meditando non potuerim discurrere, & toto illo tempore, excepto in fine sanctissimæ communionis, non audebam unquam orationes mentales sine libro incipere, in tantum enim anima mea timebat sine libro manere, quasi iam mihi cum aliqua multitudine pugnandum fuisset. Per hoc remedium quod mihi erat instar societatis, vel loco clipei, in quo recipiebam omnes grauissimos ictus cogitationis, consolabar, quia ariditas non erat ordinaria, sed semper eueniebat, quando era in sine libro, & anima mea tunc dispersa remanebat, & mediante libro cogitationes dispersas colligere coepi, & animam quasi per allestantum attrahebam, & saepius sufficiebat, ut tantum librum aperirem, & aliud non desiderabatur, quandoque parum legebam, aliquando multum, secundum gratiam, quam mihi

Domini-

Dominus concedebat. Videtur mihi in principio, quod non fuerit aliquod periculum perdendi tantum bonum, cum haberem libros, & manendo solitaria, & pro certo credo, quod ita fuisset, si magistrum habuisset, vel personam aliquam quæ me monuisset, ut occasiones fugerem. Et si Diabolus me apertè aggressus fuisset, videtur mihi quòd nullo modo grauiter peccasse: sed deceptio tam subtilis fuit, & ego similiter mala, ut omnes determinationes parum me iuuerint, licet tunc, quando Deo inferuirem multas pertulerim infirmitates. Aliquoties de Dei bonitate mirabar, & ex tanta magnificencia & misericordia consolabatur anima mea, sit in omnibus benedictus, posteaquam clarè vidi, quod neque in hac vita sine præmio reliquerit, licet opera mea debilia & imperfecta fuerint, nihilominus Deus incrementum dedit & perficit, & statim peccata mea abscondit, imò permisit, ut eorum oculi, qui ea viderant excæcarentur, eorumq; memoriam sustulit. Solet Dominus culpas nostras deaurare, & facere, ut ex illis aliqua resplendeat virtus, quam in me Deus plantauit, eiusque possessionem accepit. Redeo ad illud quod mihi demandatum est, & dico, si vellem minutissimè modum referre, quem Dominus mecum tenuit, desideraretur aliis intellectus quam est meus, ad ampliandum illud, quod suæ diuinæ Maiestati debeo, & in detestando meam ingratitudinem & malitiam, quia in toto eius oblita fuisset, sit semper benedictus qui tanta mihi contulit.

C A P.

## C A P . V .

*Sequuntur magna infirmitates , quas habuit,  
nec non patientia quam Deus ipsi concessit,  
& quomodo ex malis nostris eliceat bonum,  
ut videre est ex eo, quod in illo loco ipsi eue-  
nit , ad quem recuperandæ sanitatis causa  
sese contulerat.*

**O** Blita eram referre, quomodo in anno no-  
uiciatus mei, multas inquietudines in ali-  
quibus per se parui momenti sustinuerim, sine  
mea culpa me culpabilem iudicando. Sæpius  
illa pertuli, non sine magna pæna & imperfecti-  
one, licet fuerim contenta eo, quod iam monia-  
lis essem, & omnia bene mihi succedebat. Quā-  
do aliæ viderent me locum solitarium quærere,  
meq; propter peccata mea lacrymātem conspi-  
cerent, iudicabant me malè contentam, & sic  
etiam inter se dicebant. Ego verò vitæ mona-  
sticæ plurimum afficiebar, sed quæ mihi ad con-  
temptum tendere videbantur, ferre non pote-  
ram. Gaudebam æstimari, & in omnibus eram  
curiosa, omnes meæ actiones virtuti mihi attri-  
buenda videbantur, sed hoc me à peccato non  
excusabit, cū sciam, quid sit procurare id, quod  
sibi placet, ita vt hic ignorantia non tollat cul-  
pam. Aliqualis potest mea prætendi excusatio,  
cū illud monasterium in summa non fuerit  
perfectione fundatum ; & ego vt minus bona  
minus sequebar bonum relinquendo , quod  
perfecte

perfectè bonum erat. Tunc temporis quædam monialis grauiter infirmabatur, quia in eius vētre erant ex opilatione aperta aliqua foramina, ex quibus effluebat quicquid manducabat, ex qua breui temporis spatio moriebatur. Ego alias sibi de eadem infirmitate metuere videbam, & nihilominus inuidendo eius patientiæ, Domum rogabam, vt patientiam mihi concedendo, eandem infirmitatem mihi concederet, vel aliam prout suæ Maiestati placeret. Nullum malum mihi tam graue videbatur, quod nō libenter pro æterna beatitudine promerenda sustinuisse, quia determinaueram per qualecunq; medium illud promereret, & miror, cum tūc secundum meum iudicium non habuerim Dei amorem sicuti postea, quando incipiebam facere orationes yideo habuisse: & hoc habebam, quod peccatum mortale mihi videretur parui esse momenti, quodque bonum illud, quo vita æterna promereretur magni esset pretij. In hoc etiam me sua diuina exaudiuit Maiestas, vt circa finem alterius anni remanens infirmā durauerit per tres annos, vti modò dicam. Cum namq; manendo cum mea sorore tempus aduenisset curationis, per Patrem ad illam monialē ad aliū locum deducta sum. Hic diabolus multum animam meā deturbare cœpit, licet Deus exinde plurimum boni elicere voluerit. Erat in illo loco quædam persona Ecclesiastica, habens aliquas bonas qualitates, eratque mediocriter docta, cui cum sacerdos esset, cœpi confiteri, sed inde mul-

de multum damni anima mea habuit, & ideo quia tantum mediocriter doctus fuit, & doctiores habere non poteram, experientia didici me lius esse, quando alioqui sunt virtute & pietate prædicti, si sunt indocti quam mediocriter, quia illi sibi fidunt, & doctissimos consulere nolunt. Doctissimi me nunquam decipiunt, sed neq; alii debet velle decipere, sed parum sciunt. Putabam me ad aliud non obligari, quam ut ipsis credarem, maximè cum, quæ mihi dicerent, essent larga, & maioris libertatis, et si ipsis credere debuisse, sunt ita mala, ut etiam alios deceperisset. Quod erat veniale, dicebat esse mortale, quodque mortale erat veniale faciebant, & hoc mihi tantum mali intulit, ut superfluum non sit pro aliorum cautela hoc referre, cum apud Deum ideo non excusor. Credo Deum id permisisse propter mea peccata, ut ipsi deciperentur, nec non ego similiter. In huiusmodi cæcitate, ut puto, plusquam decem & septem annis permansi, donec quidam Pater ordinis sancti Dominici, vir alioqui doctissimus, mihi quedam declarauerit, & aliqui ex societate Iesu, magnum mihi incutiendo timorem, & multum aggrauando mea principia, prout postea dicam. Dum prædicto sacerdoti confiteri inciperem, maximè mihi afficiebatur, cum parum haberem quod confiterer in comparatione eorum, quæ feci, antequam monialis essem. Non quidem male mihi afficiebatur, sed quia affectus ipsius erat superfluus, minus bonus erat, ex me intellexerat quod fue-

D  
rim

rim resoluta nō faciendi quicquam contra Deū, quod graue esset, & de eodem me securam redidit, & sic inter nos stricta erat conuersatio, & diuinis addicta eram, vnde gustabat multum de Deo loqui. Cùm verò iunior essem, causam illi præbuit aliquis confusionis. Ex amore magno, mihi incēpit suam aperire perditionem, eamque non paruam, posteaquam iam septem præterierant anni, in quibus semper fuerat in statu periculosissimo, ratione cuiusdam mulieris, & in tali statu celebrabat. Publicum erat, suamque reputationem & famam perdiderat, & nemo illi dicere audebat. Magnam eius habui compassionem, quia satis illum amabam, id quod meæ leuitati & cœcitati asscribendum est, sed quia grata videri desiderabam, virtuti tribuendum iudicabam, ut prouerbialiter dicitur: *le alta a chi m' amava.* Maledicta lex, quæ se contra Deum extendit, & est vera stultitia, quæ apud mundanos homines est in usu, quod facile cognosco, cum sciam nos omnia bona Deo debere, quæ à creaturis nobis fiunt, & nos virtutis tribuimus, licet talis amicitia contra Deum sit, nec illam rumpere volumus. Magna est mundi cœcitas, faxit Deus, ut toti mundo sim ingratissima, Deo verò minimè, sed propter peccata mea contrarium mihi accidit. Meliorem ex ipsius domesticis accepi de eo informationem, ex quibus petij eius statum cognoscere, eiusque perditio mihi innotuit, cuius ipse non tantam habuit culpam: nam mulier illa sibi aliquas fecerat in-

canta-

cantationes in quodā vasculo ex metallo, quod ad eius petitionem & gratiam in collo gestabat. Non credo quod determinatē sit verum, quod dicitur de eiusmodi figmentis, sed dico ad cautelam eorum quæ vidi, vt sibi viri à mulieribus caueant, quæ tales quærunt conuersationes, & sciant, quod ipsæ mulieres coram Deo, ad honestatem magis obligantur, quàm viri, & in nullo sibi de illis fidere debent, ego licet sim peccatrix, in simile nunquam cœcidi peccatum, sed neque vnquam talem habui intentionem, sed neque si potuisssem, nunquam alicuius voluntatem allicere voluisse, quò me amaret, quia ab eiusmodi me Dominus custodiuit: sed si me dereliquerisset, mala perpetrasset sicuti in alijs, quia in nullo sibi de me quis confidere potest, sciens iam periculum in quo anima ipsius constituta erat, maiorem illi demonstravi affectionem, & licet intentio fuerit bona, operatio nihilominus fuit mala, cùm non sint facienda mala, vt inde euenant bona. Secum ordinariè de Deo loquebar, id quod ipsi non parum profuit, licet hoc ipsum magis iuuerit ad suum propositum, vt mihi bene voluerit, quia vt mihi rem gratiam præstaret, dedit mihi istud vasculum, quod statim ego accipiens, in flumen projici curaui, quo facto, quasi à somno excitatus ad se rediit, cogitans periculum, in quo septem annis fuerat, & admirans dolere cœpit, & à conuersatione istius mulieris abhorruit. Nostra Domina ipsum, vt credo adiuuit, cui erat deuo-

D. 2

tissi-

tissimus, ob eius conceptionem, quo die magnā fecit solennitatem & festum. Ultimò eam planè dereliquit, agendo Deo gratias, quod eum illuminare dignatus sit, & circa anni finem mortuus est, erat iam addic̄tus Dei ministerio, & bene dispositus, quando moriebatur. Mansi in eodem loco tribus mensibus, cum maximis molestijs, cura enim medicinalis meam excedebat debilitatem & complexionem, ita quod mihi mortis periculum imminuerit, & tātus erat dolor cordis, ut viderer quasi dentibus corrodi, & quidam me rabiosam esse iudicabant. Vires planè defecerant, quia nō nisi quod liquidum erat, manducare poteram, angustiæ multæ, nec non febris continua, & ita per medicinas consumata eram, & intus ardebam, vt nerui contrahentur, cum dolore incomparabili, ita quod nunquam potuerim requiescere, cum quadam extrema malicioſia. Pater reuersus ad alium locum me deferri curauit, ubi melius ab ipsis medicis visitari poteram, qui penitus de mea sanitate desperabāt, cū ecstasis superueniret, de quo parum curabā, dolores erant qui me angebant, & illos sentiebam à capite usque ad pedes, & ut dicunt medici, dolores neuorum sunt intollerabiles. Tribus circiter mensibus durauit eiusmodi dolor, & impossibile videbatur tanta simul pati me posse. Nunc miror, sed per Dei gratiam, patientiam habui, quam mihi concessit, & ab illo procedit, utque illam haberem, me iuuit legisse libros Iob, & libros moralium. S. Gregorij, vn-

rij , vnde videtur quod hoc modo voluerit me Dominus præuenire , incoperam habere donum orationis, quod factum est, vt cum eiusmodi conformitate omnia perferre potuerim. Mea conuersatio erat cum ipso Iob , eiusque sententiam in meo pectore & ore habebam semper: qua dicit, *Si bona recepimus de manu Domini, mala autem quare non sustinemus?* hoc mihi , vt videtur , vigorem tribuit. Ingens ille dolor à mense Aprilis durauit, vsque ad festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & tunc confiteri proponebam , sicuti solebam facere saepius , sed quia sibi persuadebant, id fieri ex timore mortis, & ne inde maiorem sentirem pœnam, pater non permisit. Amor sanè carnalis superfluus , licet fuerit paternus tanti patris Catholici , & prudētis, sicuti reuera erat : nihilominus magnū mihi adferre damnum poterat; eadem enim nocte, accidit , vt quatuor diebus manserim sine intellec̄tu , vt mihi extremam dederint vñctionem, putantes me illicò morituram ; & aliud nil faciebant, quam recitare Credo, quasi intelligerem quæ dicebantur , aliquando putabant me omnino mortuam, ita quod supra oculos meos aliquot guttas ceræ inuenerim. Dolor patris ingens erat, eo quod non permiserit me confiteri, vnde Deum inuocando multas orationes fundebat, Benedictus sit Deus , qui dignatus est eum exaudire. Moniales mei monasterij , per diem vnum & medium tenuerant sepulchrum apertum, corpus meum expectando, exequiæ

D 3 factæ

factæ erant , funebris oratio à quodam nostro  
fratre habita,nihilominus voluit Deus, vt ad me  
redirem,& statim volui confiteri.

Recepi Sacramentum corporis Christi , non  
sine lacrymis , sed non erant secundum meum  
iudicium, ex solo dolore, eo quod Deum offendisse  
sem, qui fuisset sufficiens ad salutem , si alio-  
qui persuasio aliorum me non decepisset, dicen-  
do, non esse mortale peccatum , quod postea in-  
ueni mortale esse. Cùm itaq; dolores essent in-  
tolerabiles, qui mihi remanebāt, & sensus par-  
uus,integram feci cōfessionem , secundum meū  
iudicium , de omnibus quibus iudicabam me  
Deum offendisse. Hanc mihi gratiam inter o-  
mnes alias contulit Deus , vt postquam inc̄epi  
communicare , nunquam emiserim confiteri,  
q̄ imaginabar esse mortale , licet esset veniale.  
Sed sine dubio mihi videtur, quod salus mea nō  
fuerit extra periculum, si tunc mortua fuisset;  
cum habuerim confessarios , parum doctos ex  
vna parte, & quia ex altera parte eram satis per-  
uerſa, affligor dum id cogito , & considerando,  
quomodo Deus me resuscitauit contremisco.  
Bonum esset ô anima mea , si animaduerteres  
periculum, ex quo te liberauit Dominus , po-  
ste aquam ex amore nō abstinueris , quin Deum  
offenderes, ad minus ex timore abstinere debu-  
isses,cùm te in tam statu periculoſo millies con-  
demnare potuisset.Credo quod non erit multū,  
ſi aliud millies adiunxero, licet me reprehendat,  
qui mihi mandat, vt moderatius peccata mea re-  
feram,

feram, quæ adhuc nimium subticeo. Ex amore Dei rogo, cui scribo, ne aliquam offendam subticeat ex omnibus quas hic dico, quia hinc maior apparet Dei miseratio, eiusque Maiestas, qui mihi pepercit, sit nomen eius benedictum in æternum, Amen. Placeat suæ diuinæ Maiestati, ut antequam consumar, se amari permittat. Amen.

## C A P. V I.

*Tractatur in quantū fuerit Deo obligata, dando ipsi in omnibus pœnis patientiæ donum, & quomodo Sanctum Iosephum pro suo aduocato elegerit, & quantum utilitatis inde receperit.*

**P**Ermanſi quatuor illis diebus in tali paraciffo, ita ut folius Deus ſciat, quantas ſim paſſa intolerabiles pœnas, lingua iam in partes ex morsibus diuifa erat, fauces, cum nihil ſumpſerim propter debilitatem, ſuffocabantur, vt ne aquam quidem deglutire potuerim, mouere pedes, neque brachia aut manus poteram, ſed neque caput, non ſecus ac ſi mortua fuifsem, ſed ne digitum vnum, vix quifquam præ nimio dolore accedere poterat, & uſque ad festum Paschæ durauit. Magnam faciebant instaniam, vt ad monasterium redirem, & eo medeferre, vt eram curauerunt. Moniales me mortuam expectabant, & me receperunt cum anima & corpore, ſed corpus peius erat,

D 4                   quām

quam si mortuum fuisset, & aptum ad infligendum pœnam illis, qui me videbant, debilitas corporis exprimi non potest, tantummodo ossa mihi reliqua erant, & in eo statu permansi octo mensibus, & amplius: sed & clauda eram usque ad tres annos, postea vero paulisper cœpi conualescere, dum inciperem incedere, Deo gratias egi. Sustinui omnes illas infirmitates magna cum lætitia, & pro nihilo illas habui respectiuè ad dolores quos prius passa eram. Mea voluntas diuinæ voluntati conformis erat, & licet sua Maiestas ita semper me relinquere voluisse, videtur meum fuisse desiderium ut conualescerem, eum in finem, ut melius orationibus vacare potuissem, sicuti edocta eram, nam in valetudinario non erat tanta commoditas. Confitebar saepius, tractando de Deo, ita ut inde quam plurimi ædificarentur, admirando patientiam mihi à Domino concessam, & nisi de manu eius venisset, impossibile fuisset eiusmodi sustinere. Magnum fuit Dei donum, dando mihi in oratione gratiam, quod potuerim cognoscere, quid sit amare Deum, quia ex eo noua in me sensi virtutem, licet non sufficerit ut in bono perseuerare potuissem. Non delectabar audiendo de aliquo dicere malum, licet fuerit etiam paruum, omnes solebam remouere murmurationes, & de alijs nolebam dici, quod de me ipsa dici non volebam: licet tamen debeam Deo reddere rationem, in quibus malum præbui exemplum, cum multorum malorum causa extiterim, quod ut mihi Domi-

Dominus ignoscat rogo, licet non cum tanta intentione peruersa, prout in illis, quæ postea sunt subsecuta. Desiderium habebam viuendi in solitudine, & de Deo loqui, confiteri, & communicare sæpius, bonorum authorum libros libenter legebam, & dolebam satis ex eo, quod Deum offenderam sèpissimè & memini quod ausa non fuerim orare, timendo pœnas quas ex offensis in Deum pati promerueram. Dolor iste in tantum augebatur, ut nesciam eum alicui pœnæ comparare: qui non ex timore proueniebat, sed solum quia cōsiderabam gratiam, quam Deus mihi in orationibus concederat, vnde me summopere obligatam cognoscebam, & quia ipsi male inseruieram illud sustinere non poteram. Duplicentiam extremam habebam, multum lacrymabar ex peccatorum meorum consideratione, & parua vitæ meæ emendatione, postea quam non sufficerent omnes meæ determinationes, neque labores quin denuo caderem, prebendo mihi ipsi cadendi occasionem. Videbantur mihi lacrymæ deceptionis, & culpa maior: cum viderem gratiam mihi à Deo datam, quæ peccata mea detestabar & de eis dolebam. Studebam confiteri breuiter, & secundum meum iudicium faciebam quod poteram, vt in gratiam redire possem, sed damnum quod subsecutum fuit, inde proueniebat, eo quod cadendi radicem non extirpauerim, atque occasions non subterfugerim; & ex parte Confessarij culpandi erant, qui me parum iuuabant, non aperiendo

D 5 mihi

mihi periculum, in quo etam, tenendo eiusmodi conuersationes; & si mihi id indicatum fuisset, credo, quod omnia salua fuissent, cum mecum serio determinassem, me neque per vnum diem velle in peccato mortali permanere, ubi illud clarè cognouissem. Omnia ista timoris Domini signa ex oratione prouenerunt, & quod magis est amori coniuncta fuit: quia neque castigatio, neq; pena se mihi representabant, dum infirma eram: attamen multum curaui, ne mea conscientia aliquo mortali grauaretur peccato. O Domine Deus magis sanitatem desiderabam, ut tibi inseruirem, sed ego ipsa totius mali mihi causa eram. Videndo me itaque in iuuenili mea ætate claudam, & etiam quomodo omnes medici me dereliquerant, ad medicum cœlestem, ut me sanaret, confugiendum esse determinabam, desiderando omnimodè sanitatem, licet cū magna lætitia infirmitatem sustinerem, & aliquoties cogitabam, si stando sana condemnari deberé, melius esse, vt sic permanerem: nihilo minus mihi videbat, quod si sana fuisset, melius Domino inseruiuisse, sed in hoc decipi-  
mur, non remittédo nosipso diuinę voluntati, quia melius nouit, quid nobis prodest, quam nosmetipsi. Incœpi circa missæ sacrificium magnam habere deuotionē, & approbatas orationes libenter legi, sed nunquam mihi placuerūt, quædam orationes, quæ à quibusdam mulierculis fiunt, cum multis superstitionibus & ceremoniis. Pro meo aduocato habui sanctum Iosephum,

sephum, cui me multum commendaui, & per experientiam didici, quod tam in mea necessitate, quam in alijs, ad honorem & animæ meæ salutem pertinetibus, melius me liberauerit quam ego rogare nouerā, nec recordor me in hodie-  
num usque diem, ad eius intercessionem, à Deo aliquid petiuisse, quod non impetrauerim. Mi-  
rabile dictu, si omnes gratias easq; magnas quas mihi Deus per istius glorioſi sancti intercessio-  
nem præsttit, enarrarem, liberando me à peri-  
culis corporis & animæ; videtur quod Deus alijs sanctis gratiam concesserit succurrendi, in  
vna sola necessitate; verum hic sanctus in omni-  
bus, ut experta loquor; & videtur quod per hoc Deus velit significare, quod sicut in mundo vo-  
luerit ipſi esse subiectus, posteaquam nomen patris haberet, & Deus esset, & præcipere poterat, sic in celo facit, quantum ille petit. Id idem nonnulli alij mecum sunt experti, quibus per-  
suasi, ut se illi commendarent; vnde fit quod multi ipſi sint deuoti, & hanc de nouo verita-  
tem sum experta. Studebam eius festum maiori-  
cum celebritate peragere, vti poteram, vanitate potius plena quam spiritu, curiosè illud pera-  
gendo, licet tamen mea intentio bona fuerit:  
sed hoc mali habebam, vt, si Dominus Deus mihi non concessisset gratiam faciendi aliqua bona opera, remansissem imperfectionibus plena,  
deficiendo in multis, & malum perpetrando,  
vanitatibus & vitijs abundabam, etiam astuta satis & diligens, sed hoc mihi remittat Deus.

Cupe-

Cuperem omnibus persuadere, ut huic sancto glorioso deuoti essent, ideoque propter experientiam quam habeo in obtinendo à Deo fauorem mirabilem. Nullum cognosco qui nō multum profecit in virtutibus & pietate, qui seipsum huic sancto commendauit, maximè pro salute animæ suæ. Memini plures esse annos in quibus semper in die ipsius festi aliquid petij, & illud impetraui, & si quod rectum non erat, quod petij, id mihi ad maius bonum datum fuit. Si ego talis essem, vt scribendi haberem auctoritatem, cuperem magna cum mea satisfactione & gaudio voluntariè minutim referre gratias, non solum mihi ad huius sancti intercessionem, sed & alijs à Deo concessas; verum ne transgrediar licentiam mihi concessam, breuior esse debeo quam vellem, & in alijs longior quam conuenit: sicuti quæ in omnibus paruam habeo discretionem, solum hoc rogo, vt qui expertus non est, ipse met experiat, & nescio quomo do quis possit meminisse Reginæ cœlorum & Angelorum, qui etiam non agat gratias Sancto Iosepho, qui in pueritia Christi ita defatigatur. Qui non habet magistrum qui eum orare doceat, accipiat pro magistro sanctum Iosephum, & in via non errabit. Placeat Deo vt ego non errauerim, quæ ausa sim de eo loqui, nam licet manifestauerim me huic sancto deuotam, ipsi inseruiendo, defeci nihilominus imitando: nam postquam effecit, vt potuerim surgere & ambulare, ingrata tamen extiti. Quis enim putasset

tasset vñquam , quod ego quæ tantas à Deo recepi gratias , tam statim denuò caderem? Postquam dico Deus mihi talem virtutem concessit , qua me ad illi inferuiendum excitauit , postquam quasi fuerim mortua , in periculo damnationis , postquam animam meam resuscitauit , & corpus meum ita dispositum fuit , vt omnes qui me videbant viuam mirarentur. Sed quid hoc est ô Domine? In tanto ne periculo viuere debemus? Et ego quæ hæc scribo , vt mihi videatur , ex singulari tua gratia & misericordia cum Apostolo dicere possum , licet non cum illa perfectione ; *Vnuo ego , sed non ego , sed tu ô creator in me* , cum iam aliquot annis mei habueris curam , & me semper custodiueris , cum videam in me tales determinationes & desideria , vt in aliquibus experta loquor , non faciendi contra tuam voluntatem quicquam , licet tamen contingere poterit , vt tuam Maiestatem offendam : nihilominus modo videtur nihil mihi proponi posse , in quo pro amore tuo cum omni diligentia non essem præparata , & in aliquibus mihi propitius fuisti , ita vt effectus sit subsecutus , nec volo quæ sunt huius mundi , neque quæ in eo sunt ; & non video in aliqua re extra te satiari , sed reliqua omnia mihi penosa & grauia videntur , fieri potest , vt errem & decipiatur , vtque non sit verum quod ita sentio quod dico : sed vides tu bene , ô Domine , quod quantum ad me attinet , non mentior ; sed timeo , idque non sine ratione , ne à te derelinquar , quia scio quousque mea

mea se extendat fortitudo, & quam sim debilis,  
 & quam parum possim, si continuo gratiam tu-  
 am non concesseris, & iuuueris, vt te non dere-  
 linquam. Placeat tuæ Maiestati, ne à te derelin-  
 quar, cum hoc mea culpa prouenire posset, nec  
 scio quomodo hic viuere debeam, cum omnia  
 sic sint incerta, videbatur mihi impossibile ô  
 Domine, vt te in toto derelinquerem, sed cum  
 toties te dereliquerim, fieri non potest, quin ti-  
 meam, quia discedendo à me paululum, in ter-  
 ram concidi. Benedictus sis semper, quia licet te  
 dereliquerim, me totaliter non dereliquisti, ita  
 vt non surrexerim, manum mihi semper porri-  
 gendo, quam aliquoties renui, sed neque intel-  
 ligere volui qualiter me sæpius de nouo voca-  
 ueris, vt modo dicam.

## C A P. V I I.

*In quo tractatur, quibus modis paulatim gra-  
 tiam sibi à Domino datam perdiderit, &  
 qualem vitam peccatis subiectam tenere  
 insuperit, & refert, quam sit damnosum in  
 monasterio monialium non seruari clausu-  
 ram.*

**I**Ncipiebam me recreationibus dare, ex vna  
 vanitate deueni ad aliam, ex occasione alte-  
 ram arripui, in illis persistebam, & sic anima  
 mea fuit vanitatibus inuoluta, vt m̄ puderet, in  
 tanta conuersatione de oratione tractare. Lon-  
 gè à Deo recessi, causa erat, quia dum peccata  
 multi-

multiplicarentur , diuinorum gustus diminui cœpit, nec non virtutum consolatio. Videbam clarissimè ô Domine Deus, quod defectus venerit à me, quia deficiebam à te. Hæc periculofior fuit deceptio , quam vñquam Diabolus mihi facere poterat, vt sub specie humilitatis orare timere, videndo, me ita deprauatam: vtque mihi melius videretur me aliis conformare, cumque memetipsam iudicarem nō admodum malam esse omnibus alijs peior eram, & sufficiebat mihi tantummodo horas illas vocaliter legere, ad quas obligabar. De orationibus mentalibus parum curabam, nec multum curabam, tantam cum Deo habere conuersationem : vnde cum dæmonibus stare promerebar, quia populum decipiebam, & in exterioribus bonam habebam apparentiam. Monasterium in quo manebam culpam non habuit, quia per meam astutiam, bonam quam de me habebant opinionem, mihi conseruare studebam: licet tamen vitam spiritualem de industria non confinxerim , quod sciam. Non recordor me vñquam Deum per hypocrisin vel vanā gloriam offendisse, diuina me protegente gratia, quia adueniente primo motu, tantam sensi pœnam, vt Diabolus cum perditione abscesserit , vt ego cum lucro remanerim: vnde in eo me parum tentauit , & si Deus me instanter tentari permisisset, sicuti alios, forsitan etiam cœcidisset: sed sua diuina Maiestas in hanc vsque horam me in hoc custodiuit, sit semper nomen eius benedictum. Imò cruciabar

ex eo,

ex eo, quod populus bonam de me haberet opinionem, cum scirem, quid in me lateret. Quod vero à populo noluerim haberi peruersa, iuuenili meæ ætati tribuendum erat. In tanta vanitatis occasione & conuersatione, me sèpius subduxì, ut orationibus vacare possim, & cum Deo conuersari. Delectabat me in pluribus locis suam habere depictam effigiem, & oratorium, quò ad deuotionem maiorem prouocarer. De alijs malè dicere non libenter audiebam, nec de similibus quæ virtutis apparentiam non habebant: interim ut vana & curiosa me noueram existimare in illis, quæ à mundo in p̄recio haberi solent. Moniales magnam mihi concedebant libertatem, & maiorem quam aliis senioribus concedere solent. De me securæ erant, nouerant enim, quod nunquam sine licentia aliquid fecisset, sicuti nonnullæ quæ per parietum foramina, de nocte cum alijs loquuntur, Deus enim mei curam habebat. Videtur mihi, quod in quibusdam non benè fecerim, sed potius malè: considerando quædam non sine magna animaduertentia, aliorum honorem in discrimine ponendo, cum egomet fuerim peruersa, & reliquæ bonæ: quasi bonum fuisset, ut quod aliæ fecerunt, ego quoque fecisset. Verè malum illud non ita erat periculosum, sicuti alias fuisset, licet satis fuerit; sed ideo damnosum videtur, quia eius monasterij clausura strictè non obseruabatur; sed me ad infernum deduxisset, si Deus per suum fauorem singularem, & per alia media,  
ex isto

existō periculo me non liberasset, & maximum est, quando mulierum monasterium est in libertate, & potius est iter ad infernum, quām contra eārum fragilitatem remedium. Hoc quod dico, nolo vt intelligatur de illo monasterio, in quo fui, nam ibidem sunt quamplurimæ, quæ Deo strictè inseruiunt, idque in multa perfectione, quibus Deus deesse non potest; & bonum est illis fauere, cum in illo integra seruetur religio, sed de alijs dico, quę mihi magni doloris causam præbent, vt necesse sit, vt Deus singulari vtatur vocatione, idque non semel, sed sæpius, vt salvantur: ex quo consuetudo inoleuit, vt honores sint in precio, & huius mundi oblectamenta, vtque obligatio monastica cōtēptui habeatur: faxit Deus, vt quod peccatum est, virtuti non tribuatur, sicuti mihi sæpius contigit, & difficile est vt intelligar, & necessarium sit, vt Deus manum suam apponat. Si parentes, meum sequerentur consilium, postquam eorum filias nolint collocare in monasterijs, in quibus in via salutis progrediantur, sed potius in quibus maius imminet periculum, quam in mūdo, ad minus pro illarum honore sint cōtenti, vt tenuioribus fortuna nubant, quām eiusmodi monasterijs tradant, si alioqui non sunt in virtutibꝫ benè fundatae, & in pietate educatae, & faxit Deus, vt hoc iuuet, vel potius domi detineant, quia si in adolescentia sunt ad malum pronæ, diu celari non poterit, & Dominus in fine manifestabit, & sic sibi ipsis neque alijs tantum inferent damni, &

E

ali-

aliquando omnis culpa in illas est coniencia,  
quia viam quā inueniunt apertā, ingrediuntur;  
& de multis dolendum est, quia dum putant se  
mundum relinquere, ut Deo inferuant, vtque  
mundi pericula fugiant, in mille mundis sese  
inueniunt, nec sciunt, quomodo sese defendere  
debeant, nec aliquod inuenire remedium; ex  
quo adolescentia, sensualitas, & Diabolus inui-  
tant, ut mundana sequantur. Vidi in similibus  
locis, ut bonum iudicent, per dicendi modum,  
ut videātur in parte hæreticis similes, qui excœ-  
cari volunt, dicentes, bonum esse, quod ipsi se-  
quuntur, & sic credunt, licet etiam non credant,  
testimonium illis reddendo conscientia ipso-  
rum; cum in seipsis habeant qui illis dicunt, he-  
resin grauissimum esse malum. Pernitiosus sanè  
religionis status, tam virorum quam mulierū,  
vbi religio non seruatur, & vbi in uno eodemq;  
monasterio sunt due viæ: una virtutis & religio-  
nis, altera religionis defectus, & omnes quasi  
æqualiter incedūt, cum per peccatorum multi-  
tudinem, viam imperfectam ingrediuntur, &  
cum sint plures mali quam boni, ista magis fre-  
quentatur & fauetur, sed è contra via verè reli-  
gionis negligitur, & ideo magis verè religiosus  
& religiosa sibi timere debet, si volunt serio eo-  
rum vocationi satisfacere, & in eiusmodi sunt  
constituti monasteriis. Magnam debent in eorum  
conuersationibus adhibere cautelam, contra  
Dæmonum insultus, & ideo nescio quare qui-  
dam admirentur eo quod in ecclesia Dei tot in-  
uenian-

ueniantur mali, posteaquam illi qui aliis prælucere deberent, & esse omnium virtutum ornamentum, veræ religionis spiritum nostrorum sanctorum, qui religionem fundauerunt, dereliquerunt, faxit Deus, vt ipse remedium ponat, prout omnino necessarium esse videtur, Amen.

Cùm itaque in eiusmodi fuerim conuersatione, nihil inde mihi distractionis aut damni euenturum persuadendo, eo quod usus iam inualuerat, quod postea euenisse cognoui, mihi nihil nocere videbatur magis quam alijs quod me meliores esse videbam, ex re tam vniuersali, prout erat; quando vna Monialis, aliam visitabat, sed non animaduertebam quod bonitate me præcellerent, & illud quod mihi magnum erat periculum, in aliis non tantum esse, vt quæ sine aliquo periculo ita conuersari poterant: licet aliud non fuerit quam tempus male collatum.

Manendo cum quadam persona quam noueram, & conuersando, Dominus mihi manifestauit quod eiusmodi amicitia & conuersatio non conueniret, & me illuminando in tanta cætitate seipsum Christus mihi repræsentauit maximo cum rigore, demonstrando eiusmodi actū sibi minimè placere. Vidi ipsum oculis animæ meæ, multò clarior quam si oculis corporis ipsum vidisssem, & talem in me reliquit impressio nem, vt quamuis iam præterierint viginti sex anni, videar ipsum adhuc habere præsentem. Ego mansi timore perculta nec non plurimum

E 2 con-

conturbata: & illam personam deinceps videre nolui. Magnum mihi intulit damnum quod nesciuierim, aliquid sine oculis corporeis videri posse, & Diabolus ne illud crederem, me iuuit, persuadendo id fore impossibile; quodq; videntio errauerim, & q; Diabolus id potuerit effecisse, vel simile quid, licet tamen illa semper in me remanserit opinio, q; Dñs fuerit, quodq; illusio non esset; sed quia secundum meum gustum nō erat, ego mihi ipsi mentiebar, cumq; de hac re cū nemine audebam conferre, prædicta persona non sine importunitate rediit, mihi persuadendo, non fore malum cum eiusmodi conuersari, quodque propterea nullum fieret honoris mei iactura, sed potius reputationis incrementum, & sic ad eandem rediij conuersationem, non tantum tunc, sed etiam alijs vicibus, multisque annis eiusmodi familiaritas pestifera durauit; persuadendo mihi nullum subesse malum, cum tali persona conuersari, prout erat, quamuis quandoque clarè viderem, bonum non esse, sed nemo mihi vnquam alicuius distractionis causam prebuit, illa persona excepta, cui multū afficiebar.

Stando itaq; alia quadam vice cum eadē persona, aliæ superuenerunt, quæ nos viderunt, & vna nobiscum quoddam animal in modum buffonis magnæ, maiori quadam agilitate percurrentes conspexerunt, velocius currebat quam similia animalia solent, & non poteram imaginari, quod ex tali loco prodire posset, idq; medio die, sed neque ibi vnquam fuerat, & quæ circa

me

me operabatur, non videbantur carere mysterio, ita quod illa nūquam obliuionitradere potero. O Deus quibus, quantisque modis me adiuuisti, parum tamen profuit.

Erat eo in loco monialis quædam senex, mea consanguinea, admodum religiosa Dei famula, me monens s̄epius, & quædam prædicens: sed ego non tantum illi non credebam, verum indignabar, & sine ratione scandalizari videbatur. Hoc dico ut mea malignitas & singularis Dei bonitas magis elucescat, & quomodo propter meam ingratitudinem infernum promeruerim, & hęc scribo etiam eum in finem, ut si fortè Deo sic disponente, aliqua monialis eiusmodi legerit, meo exemplo admoneatur, & cautius meo damno discat, quomodo conuersari debeat. Rogo, ut in nomine Domini nostri Iesu Christi eiusmodi conuersationes & recreations fugiāt; faxitque Deus, ut tales illusiones, ab aliquibus meo exemplo auferantur, cùm per me aliquæ fuerint deceptæ; persuadendo illis malum non esse, & in tanto periculo eas reddendo securas, magna cum cæcitate, in qua ego ipsa eram: sed illas illudere non intendebam, sed meo exemplo multorum malorum causa extiti; persuadendo mihi peccatum non esse. Dum in principio infirma essem, nesciens pro salute animæ meæ præualere, magnum mihi venit desiderium alios adiuuandi, & est ordinaria incipientium tentatio, licet mihi bene successerit. Amando namque vehementer patrem meum, cumque

E 3

donum

donum orationis mihi à Deo datum magnum videretur, quo maius in hac vita inueniri non potest, per indirectam viam quæsiui, ut etiam huic exercitio pater vacaret: hinc ipsi aliquos dedi libros, ad hunc finem conuenientes, cumque virtutibus præditus esset, prout ante dixi, huic exercitio seipsum optimè accommodauit: & ita in quinque vel sex annis profecit, vt Deum laudauerim, atque magnam consolationem inde perceperim. Eius molestiæ multæ erant & diuersæ, sed in omnibus seipsum voluntati diuinæ subiecit. Visitauit me saepius, mecum de Deo loquendo.

Posteaquam verò ita per conuersationes distrahi inciperem, & esse sine orationis exercitio, me visitando putabat me eam esse, quæ prius fueram; ferre illud non poteram cum orationis exercitium per annum non habueram, vnde ne illuderetur, & iudicando maiori humilitati id ascribendum; & ista fuit maior tentatio, quam vnquam habui, per quam in perditionem præcipitabar, & ubi pridie Deum offenderam, altero die me colligere volebam, vt occasiones vitare. Pater itaque credendo, quod cum Deo more solito tractarem, dolebam satis ipsum in eo decipi, & significaui, qualiter amplius orationis exercitium non haberem, nullam indicando rationem, sed tantummodo meam indispositionem allegabam, nam licet ab illa infirmitate conualuerim, aliter non deerant. Pater mihi credebat, hanc esse causam putans, ob quam orationis exerci-

ercitium intermissem, sed cum ille non menti-  
retur, secundum conformitatem illius, de quo  
cum ipso tractabam, ego etiam mentiri non de-  
bebam, vtque melius crederet, dicebam me sa-  
tisfacere in choro seruiendo: licet illa non fue-  
rit causa sufficiēs, intermittendi orationis exer-  
citium, cum vires corporis non requirantur, vt  
fiat, sed tantummodo amor, & consuetudo, po-  
ste aquam Dominus semper dat commoditatem,  
si alioqui nos velimus. Dico semper, quia licet  
per infirmitates aliasq; occasiones per aliquod  
temporis spacium impediatur, tamen aliæ non  
desunt commoditates, tanta enim semper est sa-  
nitas, vt pro eo sufficiat, & in ipsa infirmitate &  
occasionebus vera inuenitur oratio; quando  
anima amore abundans, offert quod patitur, &  
recordatur pro quo patiatur, & mille alia sese  
offerunt. Hic amor exercetur, cum non ha-  
beat vires faciendi orationem. Parua adhibita  
in illo tempore diligentia, multa inueniuntur  
bona, quæ ego experiebar, quando puram  
habebam conscientiam, tunc maximè quan-  
do Dominus per tribulationes à nobis tem-  
pus orationis adimit. Pater vero ob bonam  
quam de me conceperat opinionem, & ob eius  
in me amorem, mihi credebat, imò compa-  
tiebatur; sed cum esset in tam alto statu, non  
diu mecum manebat, sed simul atque me vi-  
disset abiit, dicendo tempus esse perditum,  
& ego, quæ illud in vanitate transigebam,  
parum curabam. Non fuit pater solus, sed

multi alij secum , quibus consilium dederam,  
vise in oratione exercearent , idque adhuc  
eo tempore quando vanitatibus immersa es-  
sem. Quando viderem illos orationibus voca-  
libus addictos , dicebam quod meditari debe-  
rent , illosque iuuabam libros administrando,  
desiderium enim , vt alij Deo inseruiren , habui  
semp: ab illo tempore quo orare cœpi. Vide-  
batur mihi quod postquam ego Domino non  
inseruirem , vt debebam , & ne perderem illud ,  
quod sua diuina Maiestas mihi concesserat , stu-  
debam ad minus vt alij loco meo ipsi inseruirēt.  
Illo eodemque tempore Pater in morbum inci-  
dit , ex quo vitam cum morte commutauit , die-  
bus aliquot durauit , ipsum vt ministrarem ac-  
cessi , licet ego nihilominus multò magis in ani-  
ma quam ipse in toto corpore , infirmarer , va-  
nitatibusque inuoluta essem , quamuis vt cog-  
noscere potuerim obnoxia peccato mortali nō  
fuerim ; tantummodo quod tempus inutiliter  
consumperam , & si peccatum mortale in me  
cognouissem , in eo non remansissem. Magnas  
in eius infirmitate habui molestias , credo equi-  
dem , vt cùm pro me multas sustinuerit pœnas ,  
eas mihi reddiderit , & quamuis ego infirma es-  
sem ei inseruire studebam , magnamq; sensi pœ-  
nam quam non demonstrabam , & remansi us-  
que dum moreretur. Benedictus sit Deus ex  
morte quam fecit , moriendi desiderium habes.  
Post extremam vunctionē petijt , vt animam suā  
Deo commendaremus , vtque misericordiam  
implo-

imploraremus, & suæ Maiestati diuinæ fideliter  
inseruiremus, atque consideraremus, quomodo  
omnia transeunt & finiūt: & lacrymando do-  
lorem magnum quem sensit, demonstrauit, re-  
ferendo quantum doleat, eo quod religionem  
strictissimam non sit ingressus, quò Deo melius  
inseruire potuisset. Teneo pro certo, quod Do-  
minus aliquo indicio quindecim diebus, ante  
sibi significauerit, se moriturum, nam ad aliud  
non, quām ad animæ suæ salutem attendebat.  
Principium suæ infirmitatis fuit, humerūm do-  
lor excessiuus. Dixi ipsi, quod cum ita deuotus  
Domino extitisset, quando crucem portat, vo-  
luerit etiam, ut experiretur qualem ipse sensit,  
& hoc dicendo consolabatur, & nunquam de  
dolore conquerebatur. Tribus diebus extra se  
remansit, & eo quo mortuus est die ad se rediit,  
ita quod omnes admirarentur, & tam diu vixit,  
ut ipsem ( Credo ) recitaret, & ad medietatem  
perueniens, exspirauit, facies eius ut Angeli ali-  
cuius apparebat.

Sed nescio in quem finem hæc dixerim, nisi  
vt meam accusem malitiam, vt quæ eius vitam  
sanctam noui, eumque piè morientem vidi, in-  
de melior fieri debuissem. Ipsius Confessarius  
erat quidam Pater Ordinis Sancti Dominici, a-  
lioqui doctissimus, qui minimè se dubitare di-  
xit, quin recta ad cœlum iuerit, multi enim præ-  
terierant anni, quibus eius audierat confessio-  
nem, candoremque suæ conscientiæ multum  
laudabat. Et me multum iuuit, cum eidem con-

E s

fiterer

fiterer, magnamque adhibuit diligentiam, ut statum periculosum cognoscerem in quo anima mea versabatur: voluit ut singulis quatuordecim diebus communicarem, & sic cum eodem conuersando, de mea tractabam oratione, precipiens mihi ne illam intermitterem vñquā, cūm exinde non nisi singularem expectare deberem utilitatem. Itaque eam reassumere incēpi, licet occasiones nō vitauerim, & ab illo tempore nunquam intermisī. Maxima tunc afficiebar anxietate & dolore, videbam enim per orationem meos defectus. Ab vna parte me vocabat Dominus, ab altera, mundum sequebar. Divina me consolabantur, mundanis tamen adhuc addicta eram, videbar velle duo illa extrema, & inuicem contraria reconciliare, vtpote vitam spiritualem & gustum temporalem. In oratione molestabar, quia spiritus non dominabatur, sed subiectiebatur, & præualere non poterat. Multis annis ita perseuerauī, vt mirer quomodo sustinere potuerim tantam in me contrarietatem, & quod vel vnum vel aliud non dereliquerim. Hoc vnum scio, quod in mea non fuerit amplius potestate, vt penitus orationem derelinquerem, quia Dominus suam mihi suppedituit manum, qui me amabat, quod mihi postea maiorem fauorem demonstraret. O Deus, si deberem oēs malorū referre occasiones, quas à me remouit, & quomodo me denuo in illis cōiecerim, nec non pericula in q̄ incidi, & ex quibus me liberauit Dominus, & meas actiones, ex quibus

quibus cognosci poterat, qualis nam etiam, & in minimis ostendendo, si quæ in me erat virtus, & procurando, ut in oculis omnium bona vi- derer, ita quod me ipsam multum æstimaue- rim.

Nam licet vanitates meæ aliquoties transparue- rint, videntes alia quedam, bonam habentia ap- parentiam, malum in me latere non credebant. Prouenit hoc totum, quia Deus, cui nota sunt omnia, ita expedire videbat, quo personæ illæ quibus postea de Dei seruitio locuta sum, mihi aliqualiter crederent. Respiciebat sua diuina bonitas, non mea peccata, sed desiderium, quod aliquando habueram ipsi inferuendi, & pœ- nam, eo quod illud ad effectum perducere non potuerim. O Domine animæ meæ, quomodo potero magnificare gratiam quam mihi tunc tua exhibuit maiestas diuina, nam quò magis illam offendebam, me per pœnitentiam dispo- nebas, vt melius tuum amorem & gratiam gu- starem. O Domine tu me disponebas, me- diante delicata & pœnosa castigatione maior, q̄ mihi dari poterat, & ex maximo in me amo- re, mea castigasti delicta, idque eo ipso quò mihi maior infligi pœna debuisset, non credo me extra propositum loqui, licet bonum esset si ex- tra me essem, cum mihi de nouo mea in mentem veniat ingratitudo & malignitas. Affligebar magis in tali statu gratiam recipiendo, quam si in peccata grauia incidendo castigata fuis- sem, & ex eo magis confundebar & molesta- bar,

bar, quam ex omnibus meis infirmitatibus & molestijs, quia sciebam me, vt castigarer, promeruisse, & ex tali castigatione ex aliqua parte pro peccatis meis satisfacere potuisssem; sed recipere omni die fauorem, illumque male impendere, quem receperam, erat mihi grauissimum tormentum, prout omnibus esse deberet, qui aliquam Dei habent cognitionem & amorem, quodque etiam facilè cognoscere potest, qui habet animum generosum & nobilem, virtutibusque ornatum. Hinc mihi lacrymæ & indignatio, experiendo quod in oratione sentiebam, & considerando quod fuerim in præcinctu ut caderem, licet desideria mea & determinationes per illud temporis spacium firma remanserint. Magnum sanè est malum, cum anima in tali existens periculo sit sola. Videtur, si aliquem habuisset, cum quo conferre licuisset, mihi ita profuisset, vt non cecidisset, ad minus propter eius verecundiam, posteaquam coram Deo non erubescet: & ideo consulerem ipsis, qui in principio faciunt orationem, sibi procurent amicitiam, & conuersationem, cum personis, qui de huiusmodi rebus tractant. Res est enim magni momenti: etiamsi ad aliud nil prodeisset, quam quod inuicem in oratione iuant; & ideo magis, cum ibi maius sit meritum. Si enim in conuersationibus & affectionibus humanis, licet bonæ non sint, procurant habere amicos, quibus quæ mente conceperunt indicant, ut magis gaudeant, vanas illorum referendo

ferendo cogitationes : Quare quis prætermittere deberet, qui verè Deum incipit amare , & illi inseruire, quin cum aliquo tractet, suas molestias & delectationes referendo, vt quando orare incipiunt? Quia si vera est amicitia quam cupit cum sua Maiestate, de vana gloria non timeat , & quando primi motus insurgunt, ex ista pugna cum merito liberabitur : & credo quod qui ista intentione procedit , & se & alios , qui ipsum audient, adiuuabit , & maiorem habebit experientiam in addiscendo , & suos amicos docendo. Qui de hoc loquendo, vanam sentiet gloriam, non minorem habebit deuotè missam audiendo, si ab aliis videbitur , nec non in aliis operibus ad quæ sub pœna obligatur, & quæ ob vanam gloriam intermitti nō debent: & est tan-tropere necessarium illis , qui adhuc in virtutibus nō sunt benè fundati , cum multa occur-rant contraria , & mali inueniantur amici , ad malum incitantes, vt non sciam, quomodo hoc debeam ampliare. Videtur quod Diabolus hac arte sit vsus, vt quæ est magni , in decipiendo, momenti, qua, se benefaciendo abscondunt, vt non cognoscantur ab alijs, neq; videantur : qui verè amare student, & tentando Deum manife-stant opera minus bona, & in hoc laudandi sibi videntur. Nescio si in hoc malè dico , vel stultè loquor, si ita est , tua Reuerentia deleat quod scribo, si verò non est, supplico, vt meam sim-plicitatem adiuuet, & de suo adiungat, quia di-uina ita frigidè modò tractantur, vt necessarium

sit,

sit, ut unus ab alio adiuuetur, quod in ministerio diuino progrediatur. Et sicut boni consilunt, si in vanitatibus & mundi voluptatibus proceditur, & pro illis mille sint, qui animaduertunt, ut corrigantur, verum si qui sunt, qui Deo inseruire incipiunt, multi obmurmurant, ita ut necessarium sit aliquos habere, qui eos defendant, quoadusque benè fundati tædio non afficiantur, dum eos pati contingit: quia alias multum angustiarentur. Hinc factum esse existimo, ut quam plurimi sancti se in desertum contulerint: estque humilitatis signum, sibi ipsi non fidere: & sperare quod illos Deus adiuabit per illorum orationes, quibuscum conuersantur, participata enim charitas crescit. Sunt mille alia bona, quæ inde proueniunt, quæ referre non auderem, nisi experta essem. Verum quod sim inter omnes debilior, sed nihil perdet, qui se humiliando omnium est fortior, & illi credit qui experientiam habet. De me dicere possum, quod si Deus mihi hanc veritatem non manifestasset, & media mihi non dedisset, quod ordinariè tractare potuerim, cum personis qui orabant, modò cadendo, modò surgendo, paulatim in infernum descendissem; qui ut caderem multos habebam amicos, qui me incitabant, sed ut resurgerem, me solam inueniebam; & miror quod non semper in terram cedendo in terra permanserim. Si laus diuinæ bonitati & misericordiæ, cum ipsa mihi manum porrexerit, sitq; semper benedicta, Amen.

C A P.

## C A P . V I I I .

Tractatur quomodo bēnē fecerit non discedendo totaliter ab oratione , quo animam perderet , & quam sit excellens remedium ad recuperandum , quod perditum est , & licet quandoque contingat , ut intermitatur , consilium dat , ut illa reassumatur .

**N**O N sine causa vitæ meæ tempus examinavi , posteaquam vt video , vix alicui placabit , videndo rem ita instabilem . Cuperem equidem , vt lector me abhorreret , vidento animam meam ita obstinatam & ingrata illi , qui tanta mihi beneficia exhibuit . Desiderarem repetere aliquoties , si mihi daretur licentia , in quibus toto illo tempore à Deo defeci , eo quod columnæ orationis non inhæserim . Hoc mare tempestuosum , per spacium viginti annorum sèpius cadendo , & difficulter surgendo transiui , quia statim post cœcidi : & in hac vita paruam habui perfectionem , quia peccata venialia parum curaui , mortalia verò timebam , eaque fugiebam , non tam eneo modo quo debebam , ex quo neque periculum , nec occasiones deuitauerim . Vita illa mihi multùm molesta fuit , vt vix similis imaginari possit ; quia de Deo non gaudebam , neque de rebus mundanis in mundo satiari poteram , cumque in delitijs esse inuidanis ,

danis, recordando quid Deo deberem, sum-  
mopere affligebar. Quando cum Deo con-  
uersabar, affectiones humanæ me molestabant;  
pugna illa ita erat mihi molesta, ut nesciam  
quomodo illam, per unum mensem, ne dicam  
tot annis sustinere potuerim. In hac via, Dei mi-  
sericordia clare scit, quam mihi exhibuit, quan-  
do mundana tractando causa fuerim me dare ora-  
tioni: Nescio enim utrum in hoc mundo ali-  
quid periculosius inueniri possit, quam Rege  
sciente & vidente, velle Regem tradere, atque  
de eo tradendo conuenire & concludere? ma-  
xime cum Rex non possit non semper esse præ-  
sens. Quamuis verò Deus sit semper ubique  
præsens, videtur mihi quod alio modo sit illis  
præsens qui se volunt dare orationi, animaduer-  
tunt enim quod illos videt Deus, ubi alij transfi-  
gunt tempus, & non considerant, quod illos  
videat Deus. Verum quidem est, quod aliquot  
annis & mensibus me custodiebam, ne Deum  
offenderem, & me orationi dabam, & quia quæ  
scribo, ita sunt, ut de illis tracto, sed parum dierū  
bonorum recordor, qui pauci esse debent, &  
multi illi, qui non sunt boni. Rarius accidit quin  
longas habuerim orationes, excepto quando ex  
infirmitate nimium grauabar aut occupabar.  
Quando eram infirma, melius cum Deo con-  
uersabar, & studebam ut illæ personæ quæ me-  
cum tractabant, in eodem permanerent statu, cū  
sua diuina Maiestate, cui meas offerebam ora-  
tiones; saepius de Deo loquebar, excepto illo

anno

anno de quo dixi, in viginti octo annis, ex quo cœperam orationi vacare. Plusquam decem & octo annis durauit eiusmodi pugna, & contentio, tractando de Deo & mundo, in alijs verò occasio mutata fuit, licet adhuc parua remáserit pugna: sed remanédo in ministerio diuino & vanitatis cognitione, omnia mihi dulcia fuerunt, prout postea dicam. Hoc ad longum narravi, vt diuina in me misericordia eluceat, nec non, vt mea ingratitudo, & illud bonum, quod Deus animæ concessit, cognoscatur, quando se ipsam per orationem cum ardenti desiderio, & prompta voluntate disponit, quamuis non seipsam inueniat ita dispositam uti conuenit, in peccatis perseverando, & in temptationib. quas Diabolus ei proponit: sed finaliter & pro certo teneo, quod Deus eum conductet ad portum saluationis, sicuti in me ipsa experta loquor, faxit Deus ne amplius cadam.

Bonum quod acquirit, qui se in oratione exercet, (de mentali loquor,) in libris Sanctorum, & doctorum inuenitur, de quo sit Domino gloria, pro omnibus quæ in illis inueniuntur. Sed si hoc non esset, licet humilis non sim, non tamē ita sum superba, vt de hoc ausa fuissim loqui. De eo tantum loquor, quod per experientiam habeo, vt scilicet, qui orationem incipit, illam non omissat ob peccatum aliquod commissum, sit qualecunque; quia oratio est remedium, vt ad salutem reuertatur, sine qua ipsi erit difficile, & non permittat se eo modo à Dæmonio super-

rari sicuti ego, quæ per humilitatem orationem intermiseram. Credo quod non possit non verbum Domini permanere , quod quotiescumque verè homo pœnitet, cum firmo proposito Deū non amplius offendendi, denuo renouetur prima cum Deo amicitia, & incipit illi concedere primam gratiam, & aliquoties maiorem, si alioqui dolor sit sufficiens, & qui orationis exercitium non incœpit, rogo ob amorem Domini nostri, ut non dimittat. Non est vt hic timeat, sed vt benè desideret , quia licet eousque non progrediatur, vt omnino perfectus fiat , & gustet, quod perfectis solet concedere Deus, ad minus cognoscet, quomodo ad cœlum peruenire poterit , & perseverando spero in misericordia Dei , quod mercedem recipiet : quia oratio mentalis, alia non est, quam tractare de amicitia, quando vnius solus cum alio quem scimus nos amare , tractat, & si vos adhuc non amatis , & ille qui nos amat in amore persistit, & amantis conditiones requirit, & in natura nostri Saluatoris scimus , quod nullus sit inueniri defectus , & nostra è contrario sit vitiosa, sensualis & ingrata , eo peruenire non possumus , vt ipsum in tantum amemus , cum non sit nostræ conditionis , sed videndo magnam utilitatem in tenendo suam amicitiam & amorem quem habet, pœnam diu & libenter sustinemus , cum ipso manendo qui longè à nobis differt.

O bonitas Dei nostri infinita. O delitiae Angelorum

gelorum, quomodo languere amore desidero, quando me à te amari sentio. Et quomodo certum est quod tu ô Domine cum illo velis manere, qui pati non potest, vt cum illo maneras? Quam bonus es amicus, tu, ô Domine? Quem amorem non ostendis animæ nostræ? Et sustinendo expectas, vt tuæ conditioni conformetur. Et interim eius conditionem suppor-tas, & in pretio habes illud breue tempus, in quo te amat, nec non per paruum dolorem obli-uisceris, quod te offendit. Clarè hoc ipsum in me vidi, & nescio ob quam causam, ô creator meus, totus mundus non studet, vt ad te ve-niat, per huiusmodi singularem amicitiam.

Pessimi quidem, tuæ non sunt conditionis, attamen ad te venire deberent, vt boni fiant, quò ipsis satisfacere possit, manendo vna tecum, & tu cum ipsis ad minus omni die per duas horas; licet cum tua interim Maiestate non sint, nisi cum mille mentis diuagationibus & mundi curis; sicuti & ego faciebam. Ne-scio quid timeant, qui mentales orationes facere non audent, & ignoro de quo sibi timeant. Laborat quidem Diabolus, vt malum operentur, vtque operando, expauescant, non cogitando quantum D E V M offendunt, & illi debeant. Quod verò sit infernus & paradysus, & quales pœnæ quas pro nobis C H R I S T V S est passus, hæc mea fuit oratio, cum in istis essem periculis, & per spacium vnius anni horam citò finiri desiderabam, po-

tius quam ad alia bona me conuerterem , & libentius aliquid aliud sustinuisse, quod maiorem habuisset pœnam, quam orationi vacare: & certum est, quod tam fuerit vehemens illa tentatio, quæ mihi Diabolus , aut mea mala consuetudo induxit; vt me orationi dare non potuerim. Quando oratorium ingrederer, eram planè maliñcōf ica & inepta ad orandū, ita quod meipsum quodammodo cogere debuerim , sed vltimò Deus me adiuuit. Et posteaquam mihi ipsi quādam intulisse violentiam, maxima est subsecuta quies & consolatio. Sit itaque quispiam sibi conscius, sicuti ego eram & nihilominus me tanto tempore sustinuit, & vt apertè videtur, quod me iuuat, quod saluari possem; quis erit, licet sit pessimus, qui timebit? Quia quantumvis peccator sit , non tot annis in peccatis perseverabit, postquam à Deo tot gratias recepit. Et quis desperabit, posteaquam me tamdiu expectauit, desiderando & procurando aliquem locum & tempus , quo mecum manere posset, idque s̄apius contra meam voluntatem. Modò si illos Deus qui ipsi non inferiunt tantopere iuuat, & oratio sit necessaria : & non possit aliquis in veritate aliquod exinde damnum expectare , si facit, quod potest: & vt vnuſquisque Dei misericordiam cognoscat, & utilitatem que ex eo prouenit, quando totaliter orationem & lectionem, non derelinquit. Hic referam, quia multum iuuat scire quales insultus Dæmonium facit & colluctationes, vt animam nostram perdat:

dat: & qua arte & misericordia Deus è contra  
vtitur, vt animam sibi seruet, quo possit sibi v-  
nusquisque consulere, & se à periculis custodi-  
re, à quibus ego me non custodiebam; vtque su-  
per omnia sciat Dei amorem quo quærit, vt ad  
eum conuertamur. Ante omnia rogo, vt occa-  
siones fugiant, qui si illis est irretitus, non potest  
quis sibi confidere, vbi tot sunt inimici, qui  
nos oppugnant, tantaqué in nobis sit nos ipsos  
defendendo, debilitas. Cuperem mihi hanc da-  
ri gratiam, vt possem benè describere, in quali  
anima mea fuerit carcere, in illo tépore detrusa.  
Credere enim non poteram grande non id ma-  
lum esse, in quo mei Confessarij meam non ag-  
grauabant conscientiam, prout in corde meo  
sentiebam, quidam enim ex illis ad quem cum  
scrupulo conscientiæ accedebam non mihi in-  
terdicebant similes occasiones & conuersatio-  
nes, licet haberem altissimas contemplationes.

Vltimò quando cum Dei fauore maiora in-  
ciperem vitare pericula id successit, sed occasio-  
nes non omnino fugiebam. Illi quia in me bo-  
na considerabant desideria, & me multum ora-  
tioni vacare, me satisfacere iudicabant, sed ani-  
ma mea benè nouit id obligationi meæ non suf-  
ficere, quæ plura debebam. Sentio verò mag-  
nam compassionem ex his per quæ anima mea  
transiuit, & de paruo adminiculo, quod à Con-  
fessariis habebam, dicendo licita esse, quæ non  
licebant. Pena quam in concionibus sentiebam  
non erat parua, afficiebar enim illas audiendo,

ita quod quando aliquos cum gratia & feroce  
concionantes audirem, particularem erga illos  
concepimus amorem, qui, unde mihi prouene-  
rit, nescio. Ex una parte consolabar, ex altera  
affligebar, quia sentiebam me non esse tales,  
ut esse debebam. Rogabam Deum, ut me adiu-  
uare dignaretur, sed in quantum modo mihi vi-  
detur, in me defectus erat, quia in omnibus suæ  
diuinæ Maiestati non confidebam, me ipsam to-  
taliter perdendo. Remedium quærebam, dili-  
gentiam adhibendo; sed me parum proficere  
intelligebam, nisi remota quam de memet ipsa  
habebam confidentia, totam meam spem & fi-  
duciam in Deo posuisse, viuere desiderabam,  
& non viuebam, sed cum umbra mortis pug-  
nando, non habebam qui mihi vitam porrige-  
ret, quam ego apprehendere ex me non pote-  
ram, ex ratione autem mihi non succurrebat,  
qui mihi vitam dare posset, posteaquam me to-  
ties ad se reduxit & ego illum dereliquerim.

## C A P. I X.

*Tractatur quibus medijs Deus incepit eius  
animam excitare, & illuminare, in tantis  
tenebris, & dare gratiam ipsum deinceps  
non offendendi.*

**C**V M iam anima esset defatigata, nihilo-  
minus mali mei mores me derelinquere  
noluerunt, licet voluerim. Contingit quodam  
die oratorium ingredi volens, in eo reperi-  
quan-

quandam imaginem commodato ratione cuiusdam festi acceptam, eratque ipsius Christi vulneribus pleni, illam videns multum conturbar, mihi ad viuum representando, quanta pro nobis passus est, tantus fuit dolor quem sentiebam, considerando meam ingratitudinem minime tanto beneficio correspondendo, ut cor meum penitus conscindi videretur, statimq; ante eandem imaginem profusis lacrymis prostrata, suppliciter Dominum rogaui, ut dignaretur mihi talem concedere constantiam & animi fortitudinem, ne deinceps suam Maiestatem diuinam offenderem. Deuota eram S. Magdalena, & saepius eius considerabam conuersionem, & maximè quando communicabam; & sciens quod tunc in me esset Dominus praesens, me ante eius pedes prostrabam, mihi persuadendo, quod lacrymas meas non contemneret, & scio quid tunc mihi responderit, satis se in eo fecisse scilicet quod propter eius amorem mihi lacrymarum donum concessisset. Me commedabam S. Magdalena, ut eius intercessione mihi peccatorum meorum remissionem impetraret; sed videtur quod me magis iuuerit, quod de illa imagine dixi, quia totam meam fiduciam in Deo ponebam. Videtur quod Domino dixerim, me nolle ex isto loco discedere, quo usque impetrarem quod volebam. Credo pro certo quod ille actus, multum mihi profuerit, quia ab illo tempore cepi magis magisque proficere. Hanc in orando habui consuetudinem, vt, cum per intelle-

tellectum non potuerim multum discurrere,  
in me ipsa CH RIST V M repræsentare curaue-  
ri m , & videbar ibi melius esse vbi Christum vi-  
debam solum & afflictum , vt , quæ in necessi-  
tate posita eram , melius me ad se introduceret,  
huiusmodi simplicitatem in multis habebam , &  
particulariter consolabar ex oratione , quam  
Christus in horto habuit , in quo in terram pro-  
stratus , aquam & sanguinem sudauit , & tum co-  
gitabam de eius angustia quam patiebatur . Per  
multorum annorum spacium de nocte ante quā  
irem cubitum , me Deo commendando de illa  
oratione cogitaui , cùm ex ea magnas indulgen-  
tias promereri me posse , dictum mihi esset , &  
credo , quod sic multum anima mea profecerit:  
nam eo modo orationes mentales facere incipi .  
Plurimum me iuuit , agros videre , aquas & flo-  
res , in quibus creatoris memoria inuenitur , &  
mihi pro libro inseruiebant , me excitabant &  
colligebant . Aliud verò in me , meæ ingratitu-  
dinis , meorumque peccatorum consideratio  
operabatur . Cœlestia per intellecūm imagi-  
nari non poteram , quo adusque Dominus mihi  
alio modo illa repræsentare dignatus est . Tan-  
tummodo de Christo , in quantum homo est , co-  
gitare poteram . Verum quidem est quod in me  
eius pulchritudinem figurare non sciuerim , li-  
cet multa de ea legerem , eiusque imagines vide-  
rem , non minus atque qui cœcus est , vel qui  
in obscuro manet loco ; qui , licet cum aliquo  
loquatur & sentit , quod cum ipso est , quia certo  
scit ,

scit, quod ibi est, talis dico credit & scit, quod talis in eo loco stat, sed eum non videt: Non aliter mihi euenit, quando de nostro Saluatore cogitabam; hinc est, quod libenter imagines & picturas viderim. Infelices qui hoc bonum nō intelligunt, quia exinde clarè apparet, quod Dominum non amant, si enim amarent, videndo eius imaginem gauderent, sicuti quos in hoc mundo amamus, eorum libenter imagines videremus. Illo tempore mihi fuerūt dati libri Confessionum Sancti Augustini, idque, ut mihi videntur, ex prouidentia diuina, quia illos nunquam videram, aut habere procuraueram. Afficior multum D. Augustino, quia monasterium in quo manebam antequam monialis essem, ordinis Sancti Augustini erat: & ideo etiam, cum & ipse ante suam conuersionem fuerit peccator, magnam enim sentij consolationem ex memoria illorum sanctorum, quos Deus post peccata ad se vocauit; mihi persuadendo, quod per illorum intercessionem, licitum esset etiam sperare fauorem, & sicut illis Deus peccata remisit, idem mihi faceret. Sed vnum me deterrebat, quod cùm ipsi tantum semel vocati fuerint, & multi ex illis denuò non ceciderunt: vbi ego sæpius vocata fui, & denuo cæcidi, hoc me multum molestabat. Sed postea videns magnum in me Dei amorem, animum recuperavi, & gratiam obtinui, vt de Dei misericordia non desperauerim, licet de me ipsa sæpius. O Domine, quantum inter tot beneficia mihi exhibita, de mea

F 5

cordis

cordis miror duritia, vt me impeditam inuenierim, quò minus me Deo totam deuouerem. Quando Confessiones prædictas legi, videbar meam videre imaginem; & me Sancto Augustino plurimum commendaui, ad eius deueniens conuersionem, illam vocem quam audiuit in horto ita legi, non secus ac si mihi id à Domino dictum fuisset, & sic etiam in corde meo sentiebam. Creuit in me desiderium manendi diutius cum Deo; remouendo omnes occasiones, quibus remotis, statim ad amandum Deum conuerterebar: licet tamen mihi videretur me illum amare, sed tunc adhuc non intelligebam in quo verus Dei amor consisteret: sicuti necessarium erat vt intelligerem: videbatur mihi finis imponi disponendo me, vt illi inseruirem: quando sua diuina Maiestas mihi de nouo fauere incœpit: & videtur quod Deus aliud mēcum non fecerit, quām inuestigare modum & viam, vt consentirē in recipiendo illos fauores, in quibus obtinendis alij summas experiuntur molestias: fuerunt enim quā plurimæ gratiæ & delectationes quas mihi vltimò concessit Deus. Namq; petere audiēbam gustus cælestes, vel deuotionis teneritudinem; sed solūm hanc petebam gratiam, ipsum de cætero non offendendi, quodque mihi mea ignosceret peccata, cum mihi fatis multa in mentem venirent. Satis in hoc videbatur fecisse sua pietas diuina, & vt verum dicam, magnam mecum fecit misericordiam, in consentiendo, quodante ipsum steterim; attrahendo  
me

me ad suam præsentiam , coram qua, si sua Maiestas non procurasset, non comparuissem. Vna vice tantummodo recordor me gustum petiuisse, idque tunc quando in me sentiebam magnam ariditatem : sed statim in memoriam reuocando , quod petieram . Confundebar, agnoscendo in me paruam humilitatem ; nihilominus, quod petij mihi concessit Dominus. Sciebam licitum esse petere , quod postulabam : sed illis tantum , qui per eorum deuotionem sciunt sese bene dispositos esse; quam omnibus viribus procurant , Deum nullo modo offendendo ; & omnia bona operando. Videbantur mihi mæ lacrymæ sine fructu , cum , quod petieram non obtinuerim . Nihilominus credo quod me iuuerint, quia , cum bis habuerim tantam cordis contritionem & attritionem , magis incœpi orationi vacare ; minusque ea tractare, quæ mihi nocere poterant , licet ab illis totaliter non abstinuerim ; sed sua diuina Maiestas me excitando, aliud in me non expectauit, quam dispositionem aliquam, quò gratiæ spirituales in me acciperent incrementum , idque eo modo ut postea dicam , eiusmodi enim sunt , vt non soleat Deus alicui concedere , nisi in conscientiæ puritate quæ viuat.

## C A P . X.

*In quo incipit manifestare gratias sibi à Deo in oratione concessas , & tractat de eo in quo nos-*

*nos met ipsos adiuuare possumus: & quanti  
sit momenti cognoscere gratias quas à Deo  
recipimus. Rogat ut, cui scribit, nolit reue-  
lare quæ deinceps narrabit, quodque tantum  
illa scribit ex particulari mandato fibi im-  
posito.*

**A**ccidit mihi in principio, licet per breue  
temporis spacium, quando mihi repreſen-  
tabatur, cum Christo esse, sicuti dixi, vt ex im-  
prouiso Dei præsentiam sentirem, & videbatur  
in me manere, velego ab ipso absorpta videbar;  
non erat per modum visionis, sed aliud quip-  
piam, quod animam ita suspendit, vt omnino  
videretur esse extra se ipsam. Voluntas tunc a-  
mat. Memoria rerum sensibilium, vt mihi vide-  
tur, quasi perditur. Intellectus, secundum meū  
iudicium, non discurrit, licet non perdatur: re-  
manet tamen sine eo quod discurrat, & rema-  
net attonitus ex magna cognitione in qua est:  
quia vult Deus, vt intelligat, qualiter non sit  
capax eius, quod sua diuina Maiestas illi repræ-  
sentat. Prius habueram quandam teneritudi-  
nem, idque sæpius, ex qua mihi procurare pote-  
ram aliquam consolationem, quæ non est om-  
nino sensualis, neque omnino spiritualis, & est  
donum Dei: & videtur mihi, nos multum iu-  
uari posse, vt eò perueniamus; considerando  
nostram imbecillitatem & ingratitudinem erga  
Deum, cum ipse pro nobis multa fecerit, patien-  
do &

do & dolores perferendo & alia multa , in quibus, qui maxima cum diligentia vult proficere, sentiet amorem, quo anima consolatur, cor languescit , lacrymæ profluunt , quasi si violenter quandoque eliciantur , quandoque voluntariè, vt illis resistere etiam non possimus. Videtur quod Deus remuneret paruam illam considerationem , per eiusmodi excellens donum, vt consolatio, quam animæ tribuit , videndo illam ob amorem Dei omnipotentis lacrymari, ex ratione illi superueniat, vt magis consoletur. Hic anima gaudet, hic iubilat: In quo optimè, vt mihi videtur , quadrat comparatio , quæ hic sese offert, & est hæc, vt gustus illi orationis sint sicut illorum sunt, qui in cœlo diuina fruuntur visione , qui non videndo plus quam Deus vult, vt videant: secundum illa quæ ipsorum meritis sunt conformia, remanent faciati eo in loco ubi sunt. Verè quando anima in principio à Deo talem recipit gratiam , sibi persuadet nihil superesse quod desiderari possit: & putat se optimè remuneratam pro eo quod ipsi inseruiuit: idque non sine ratione, quia nulla lacryma quasi à nobis procurata potest cum omnibus huius mundi bonis comparari : quia multa per illam obtinentur. Dico ( quasi ) quia sine Deo nihil possumus. Sed quod maius bonum acquiri potest, quam habere testimonium aliquod , quo Deum de nobis contentum esse reddimus? Qui eò peruenire potest, habet quod suam diuinam Maiestatem laudet, quia ipsi multum debet : &

appa-

apparet, quod Deus in domo eius familiaritatem cupiat, ipsumque elegisse, modo non deficiat. Sed Deus fallam non curat humilitatem, quæ quandoque reperitur, de qua postea dicam: persuadendo sibi ipsi humilitati tribendum, si dona Dei sibi concessa non cognoscit. Res per se clara est, si Deus est, qui nobis dona illa cōcedit, ut simus grati necesse est, quia si ne- scimus nos illa à Deo recipere, nunquam extabimur neque prouocabimur ad eum amandum. Dum enim videmus nos ditiores fieri licet pauperes simus, certum est, quod inde maiorem consequemur utilitatem nec non veram humilitatem. Aliud nihil restat, quam vt animum nostrum viliorem aestimemus, quam vt tantorum bonorum simus capaces, credendo quod qui nobis bona illa tribuit, simul etiam gratiam concedit, ut si quando in particulari nos Diabolus tentare incipit, temptationem cognoscamus, virtutem administrando, ut resistere possimus: Hoc dico, præsupposito, si purecum mentis sinceritate coram D E O procedimus; prætendendo suæ Maiestati solum & non hominibus placere. Manifestum est, quod magis aliquem amamus, quando ipsius beneficiorum memores sumus. Igitur si licitum est, & omnino meritorium, meminisse semper quod esse, à Deo habemus, quod ex nihilo nos fecit, nos sustentat, reliqua beneficia adiungendo ex eius passione nobis exhibita: nec non quæ nobis antequam nati essemus præparauit: quare mihi non

non erit licitum, ut clarè intelligam, videam, & considerem me nolle de alio loqui vnquam quā de Deo, sicuti alias delectabar de mundi vanitatibus loquendo? Ecce donum preciosum, quādo beneficiorum Dei memores sumus; quibus dona sua recepimus & possidemus, quibus (dico) nos ad eum amandum inuitat; & donum illud orationis in humilitate fundatum est. Sed quid? si quando vident sese maiora possidere dona, qualia sanctorum quam plurimi receperunt? contemptum scilicet mundi nec non sui ipsius? Clarum est, quod tales multò magis ad Deo inseruiendum obligantur: quodque serio cogitent nihil ex seipsis, sed ex Dei liberalitate habere. Sed quid habebat anima mea paupercula & peccatrix? Nullum in me erat meritum sufficiēs, attamen prima gratia superabundauit, nec non maiora mihi concedere voluit: quām ego desiderare noueram. Necessarium est hic nouam ad illi inseruiendum elicere virtutem & niti ne ingrati simus: cum istas nobis conditiones det Deus: si namque non benē expendimus thesaurum nobis commissum, eoque in statu in quo à Deo positi sumus abusi fuerimus, illum à nobis repetet, pauperes remanebimus, & dona illa dabit Dominus illis, in quibus magis fulgebunt, & qui mediantibus illis seipso iuuant maiora præstabit, sed quomodo iuuabuntur & in illis fulgebunt abundanter, qui nō cognoscunt se esse diuites? erit ipsis, meo quidem iudicio, impossibile secundum nostræ naturæ

naturæ conformitatem, vt habeant animum ad maiora; qui non cognoscunt quomodo ipsis faueat Deus, quia rebus temporalibus ita sumus addiciti, vt difficilè sit totaliter ab illis abhorre-re: qui non cognoscunt se aliquod rerum cœlestium habere pignus, quia mediantibus illis donis, dat Deus fortitudinem, quam nos per peccata nostra perdidimus: & difficile desiderare poterunt, vt ament virtutes magnas, quas perfecti habent, si non aliquod amoris pignus habeant, quod vna cum fide viua donat Dominus: quia si ita est nostra vis naturalis mortua, vt tan-tum præsentia, quæ videmus quæramus, ipsimet fauores erunt illi, qui fidem excitabunt & stabi-llent. Fieri potest, vt ego quæ sum omnium mi-serrima, ex me ipsa alios iudicem, qui ex virtute viuæ fidei faciunt opera perfectissima, vbi ego misera omnibus indigeo. Hoc ipsi dicent, sed ego dico, quod sum experta, & scribo prout mihi mandatum est, & si non erit bonum, laceret ipse cui hæc mea scripta mitto, qui melius in-telliget, quod malè ponitur, quam ego: & ob Dei amorem supplico, vt quæ hactenus de mea vita & peccatis dixi, manifestare velint; sed de illis, quæ iam scribam non do licentiam nec vo-lo. Si forsitan aliis monstrare velint, non nomi-nent personam, cui hæc contigerunt, sed neque quæ hæc scripsit, & ideo in multis nec me no-mino, nec alium quempiam, sed meliori quo potero modo omnia scribam; ita tamen, vt non cognoscar. Propter Dei amorem rogo, si hic aliquid

aliquid erit boni, vt illud dicam, Dominus gratiam dabit: & suum erit non meum, posteaquā ego quæ sum sine literis, & sine vitæ bonitate; nec ab aliquo edocta scribere audeam. Tantūm enim illi qui mihi mandant sciunt, quod ego sim quæ scribo, & non sine pœna scribo, cùm sim in domo pauperrimâ occupationibus plena; & si Dominus maiorem mihi dedisset memoriā, ad minus in eo præualere potuisse, quod legi & audiui: sed & illa in eo parua est. Itaque si quid boni erit, credo quod Dominus id velit pro suo ministerio ad maius bonum, & si quid est mali, meum erit, & tua Reuerentia illud deleat. Manifestare nomen meum ad nihil seruit, neq; pro vno neq; pro alio. Interim dum viuo, clarum est, quod non debeat dici, quod bonum est, post mortem verò causa non subest, vt dicatur, nisi in eum finem, ne bonum suum perdat authoritatem, & non credatur, cum dictū sit à persona abiecta & misera. Credo quod sua Reuerentia pro amore Dei faciet, quod eam & alios rogo, qui videbunt qualibetate scribo, alias id non sine scrupulo facerem, excepto in peccata mea referendo, in quo nullum sentio.

Quantum ad reliqua, dicere sufficit, quod sim mulier, vt alas deponam, ideoque magis cum etiam sim misera. Isto modo sua Reuerentia pro se teneat, quod simpliciter de vitæ meæ discursu narrabitur. Sed quia importunè satis extitisti, vt aliquam scribam declarationem, circa gratias mihi à Deo in oratione concessas, si

illa erit Catholicæ veritati conformis benè quidem; si minus, animam meam ab illusione liberabit, ne Diabolus, ubi ego lucrari mihi videor, ipse lucretur, posteaquam nouit Dominus, sicuti postea dicam, ipsum semper suppliciter rogauerim, ut me illuminare dignaretur. Sed nihilominus licet clarè ea referre voluero quæ orationis sunt, obscura tamen illi erunt, qui eius experientiam non habet.

Referam aliqua impedimenta quæ secundum meum iudicium inueniunt, qui in hac via progrediuntur; & alia quædam in quibus periculum de eo est, quod Dominus me per experientiam docuit. Et postquam illud tractauerim cum admodum doctis & spiritualibus multis annis experientiam habentibus: & viderint quod in viginti septem annis in quibus orationi attendo, mihi sua Maiestas tantam dedit experientiam, saepius tamen impingendo, & male in hac via progrediendo, quām magnum erit illis periculum, quī triginta septem annis, vel quadraginta septem cū pœnitentia, & in virtute perpetua in illa via progrediuntur. Sit Dominus benedictus, vtque sua diuina Maiestas meo vtatur ministerio, suppliciter deprecor, quia nouit Dominus quod in hoc aliud non prætendam, quām vt laudetur, & in eternum glorificetur, videndo quod ex stabulo fætido & turpi, hortum florum suauissimorum excoluerit, faxit sua Maiestas diuina, ne per meam culpam retrogrediendo illos extirpem, & redeā ad locum in quo prius eram.

In

In hoc rogo suam Reuerentiam, vt id à Domino petat, quia nouit, quæ nam sim; maiori cum euidentia, quām mihi hic licitum & permisum est referre.

## C A P. XI.

*In quo tractatur unde proueniat defectus, quod Deus non diligitur, & incipit per comparationem quatuor graduum orationis, & de primo tractat, qui est pro incipientibus & illis qui in oratione gustum non habent.*

**L**Oquendo modò de illis, qui amare incipiunt, non mihi videtur illorum statum esse alium, quam quod determinant, eius orationis viam sequi, qui eos in tantum amat: & est hæc dignitas tanta, vt ex ea magnus sentiatur gustus de ea tantummodo cogitando; timor enim statim discedit: & sic in primo illo impedimento orationi contrario procedunt vt debent. O Domine animæ meæ, summum meum bonum, ob quam causam noluisti, vt resoluedo sese anima ad te amandum, & faciendo quicquid potest, omnia relinquendo, vt melius in tuo quiescat amore, non statim gustet quo amorem illum perfectum habeat? Dixi malè, dicere debebam, me scilicet dolere ( ob quam causam non volumus nos postquam omnis defectus ex nobis provenit ) si non habemus statim tantam dignitatem; cùm qui eò peruenit, vt istum Dei amorem possidet perfectè, secum habeat omnia bona?

G 2

Sumus

Sumus admodum tardi & pigri in nosmetipso  
Deo offerendo , nihilominus nullo modo vult  
Deus vt tanto fruamur bono , nisi resolutè nos-  
ipso disponere velimus. Nihil in hoc mundo  
cum tanto bono comparari potest , verum si  
quantum in nobis est faceremus à terrenis nos-  
separando , nostraq; in cœlis esset conuersatio,  
sine dubio,breui temporis spacio,nobis bonum  
illud daretur,disponendo nos vt multi sancti fe-  
cerunt. Persuademus nobis,quod nosmetipso  
totaliter Deo vouemus,& in veritate illi tantum  
fructum & prouentus damus : retinendo nobis  
dominium & possessionem. Deliberamus esse  
pauperes, quod magni est meriti, sed sæpius ti-  
memus, ne quid nobis desit. Non tantum, quod  
necessarium est quærimus, sed etiam quod su-  
perfluum est. Amicos molestamus,vt nobis ali-  
quid tribuant ; & nosmetipso in maiori quan-  
doque constituimus periculo, (timendo ne no-  
bis aliquid desit, ) quam eramus , cum omnia  
possidebamus. Videtur præterea quod honores  
contempsimus cum facti sumus religiosi , vel  
quando vitam spiritualem agere incœpimus,  
sequendo statum perfectiorem ; & si in minimo  
aliquid fit contra honorem, siue nostram repu-  
tationem , statim obliuiscimur nos Deo id to-  
tum vouisse quod habemus; & repetere volu-  
mus , & ex eius manibus eripere , posteaquam  
nostram voluntatem in eius voluntate consti-  
tuimus : idem fit in omnibus alijs. Pulcher sanè  
modus amandi Deum,cum velimus nostras no-  
bis

bis reseruare affectiones, & nostra desideria nullo modo derelinquere; & simul possidere spirituales consolationes. Conuenire minime possunt hæ qualitates contrariae: & quia totaliter Deo nosmetipsos non offerimus, hic fit ut Thesaurus iste nobis non concedatur, verum perseverando, Deus seipsum nemini negat, & paulatim disponitur ad obtainendum victoriam. Sed in principio multa homini Diabolus proponit, vt ad effectū non perducatur; nouit enim damnum perdendo non solum illam animam, sed etiam alias, si ad summam perfectionem peruenierit: quia talis anima non sola ad cœlum peruenit, sed secum ducet, vt bonus Capitaneus alias quas instruxit. Hinc fit quod malignus ille, homini tot difficultates & pericula proponit; & ideo animum magnanimum habere debemus ne retrorsum gradiamur. Loquendo igitur de illorum principio qui iam determinauerunt illud assequi bonum, dico omnem difficultatem consistere in principio, vt laborando fructum faciant. In alijs orationis gradibus anima magis delectatur, sed primi, medij & vltimi secum maiorem adferunt molestiam, licet differētem, quia cum iter illorum sit illud, per quod Christus iuit; sequi ipsum oportet, si alioqui perire nolint. Molestiæ sanè benedictæ posteaquam etiam in hoc mundo abundantter remunerantur. Necesse est vt vtar aliquibus comparationib<sup>o</sup> quamuis eas fugere velim cum mulier sim, & potius simpliciter scribere, sicuti mihi iniun-

ctum est: sed lingua ista spiritus est tam diffici-  
lis illis, qui docti non sunt, sicuti ego sum, vt ne-  
cessē sit aliquem inuenire modum ad declaran-  
dum, quod referre debeo, quamuis facile etiam  
fieri poterit, vt neque comparationes sint ad  
propositum, nihilominus sua Reuerentia inde  
recreationem accipiet tantam meam videndo  
rusticitatem. Comparationem quam referam  
legisse me alibi videor, vel saltem audiuisse; sed  
non recordor vbinam, cum paruam habeam  
memoriā, nihilominus mihi inseruiet, vt quod  
dicere intendo proferam, & est istud. Qui vult  
incipere vt nobilissimū illum acquirat thesau-  
rum, debet sibi persuadere qualiter hortū quē-  
dam ingreditur, in quo terra est sterilis: estque  
herbis pessimis plenus, in quo tamē debet Deus  
delectari, & suas habere delitias. Deus euellit  
zizania & bonas plantat herbas. Nunc verò ti-  
bi persuadeas Deum hoc fecisse, quando anima  
tua est determinata mentales facere orationes,  
quasque iam in ysu habet; & adiuuante Deo  
procurare debet ( sicuti bonus hortulanus) ma-  
xima cūm diligentia vt plantæ istæ crescant, eas  
irrigando ne perdantur; sed flores producant,  
& suauem odorem emittant, qui Deo delitias  
præstent, & hoc modo inde delectationem acci-  
piet. Videamus nunc quibus medijs illas irriga-  
re possimus, quò sciamus quid nobis faciédum  
sit: & vtrum labor vtilitatem superat, & quo-  
usque durat. Videtur mihi quod plantæ quatuor  
modis adaquari possint. Primò hauritur ex pu-  
teo.

teo aqua non sine nostro labore manuum nostrarum. Secundò per instrumentum quoddam ad hauriendum minori cum difficultate accommodatum, & maiori cū quantitate. Tertiò cum per quondam canalem ex riuulo ad terram aqua decurrit, & eo modo abundantius & multo melius terra irrigatur, sed neque necesse est ut sæpius irrigetur, & hoc modo minor erit hortulanī labor. Vltimò abundantissima irrigatur pluua, qua Deus sine aliquo nostro labore terram & plantas irrigat; & est modus iste sine aliqua comparatione omnium optimus. Nunc verò hortum conseruare debemus per aliquem istorum modorum, quia sine aqua proculdubio perdetur. Hoc ad meum facit propositum, & per hanc similitudinem, meo quidem iudicio declarare aliquid poterimus: quod ad quatuor illos orationis modos spectat, in quibus Dominus ex sua singulari bonitate animam meam aliquoties constituit, faciat Deus per suam gratiam, ut aliqua cum utilitate referre possim, quo iuuentur, qui iusserūt, ut hęc scriberem: & quædam persona in quatuor mensibus melius profecit, quām ego in decem & septem annis, & sic omnibus istis quatuor modis sine suo labore hortum irrigat, licet vltima aqua illi non nisi guttatum adhuc detur, sed ita progreditur, ut breui in ipsa fauente Deo, omnino mundabitur, gustumque sentiet spiritualem, ita quod mundi huius oblectamenta ipsi planè videantur stulta. Qui verò sese incipiunt dare orationi, sunt si-

miles illis qui hauriunt aquam ex puteo, idque non sine magno labore manuum, ut dixi, qui dum defatigantur, eorumque vires sint dispersae; ut denuo eas colligant, molestiam sentiunt. Conuenit ut assuecant tempus dare orationi, utque non carent quo minus stando in solitudine vitam transactam meditentur. In principio pœnam sentiunt, quia singula intelligere non possunt, propter peccata dolent, & postquam sunt resoluti, ut Deo seruant, tunc verè pœnitent, debentque tum vitam Christi meditari, & in eo defatigando intellectum, possunt sibi Dei fauorem acquirere, sine quo nihil possunt: & sic aqua ex puteo hauritur, faxit Deus, ut ibi sit, ad minus per nos non stet, quin ad hauriendum emus; ut flores irrigantur, & ita bonus est Dominus: ut casu quo puteus sit siccus, & nos quod in nobis est facimus, hortulanus noster etiam sine aqua flores virtutum conseruabit, augebitque & crescent. Aquam in hoc loco lacrymas intelligo, quæ si non fuerint, deuotionis teneritudo illorum locum supplebit. Sed quid faciet qui multis diebus non nisi siccitatem experitur, disgustum & tedium, ita ut parum inde affici videatur, ut aquam illam lacrymarum ex puteo hauriat, persuadendo sibi rem parum gratam facere, minusque suum ministerium Domino acceptum fore, & consideraret in toto labore hucusque factum perdere, nec non præmium quod ex labore sperat situlam sæpe sæpius ex puteo sine aqua attrahendo, ita ut neque brachia ele-

eleuare possit aliquoties, sed neq; aliquam bonā cogitationem habere? quia per aquam quæ ex puto hauritur intelligimus nos per intellectū discurrendo operari; Quid hic faciet hortulanus? Non aliud quam vt gaudeat & cognoscat fauorem, quo factus est dignus, qui in horto tāti Imperatoris laborat, & sciat ipsum fore contentum, laudet illum, & roget vt dignetur confidenter secum & cum securitate tractare, & tempus retributionis veniet, & orationem non intermittat, etiamsi siccitas illa lacrymarum pertotam suam vitā duraret. Non timeat quod frustra laborabit, bonus est enim Dominus, quia defatigationis præmia manent, & ego multis annis eiusmodi habui siccitatem, & quando vnicā solummodo aquæ guttam ex illo puto hauriebam, mihi persuadebam magnum me receperisse fauorem. Scio quod magnæ sint molestiæ & meo quidem iudicio, maior requiritur animi constantia quam in rebus mundanis; attamen clare vidi, quod Deus nihil relinquit irremuneratum etiā in hac vita, sum eius opinionis quod Deus in principio velit, vt aliquoties pœnam & tentationes sentiamus, quales solent euenire illis qui inuicem amant, vt sciant, si calicem bibere possint: eosque vt crucem portare possint adiuuat, antequam velit illis eiusmodi preciosum thesaurum concedere, atque pro nostra maiori utilitate nos vult per eiusmodi viam deducere; vt intelligamus quod parum possumus, gratiæ enim quas postea tribuit tanti sunt pre-

G S tij,

tij, vt velit nos per experientiam prius nostram cognoscere miseriam, ne nobis quod Lucifer contigit, eueniat. Et quid facis ô Domine, quod non sit ad maius animæ bonum, vt cognoscatur quod tua sit, quo in manu tua seipsum cōstituat, tibi inseruiat, teque sequatur quocunque iueris etiam in ipsa crucis morte, ne tuam Maiestatem eam portantem solam relinquat? qui seipsum ita resolutum esse cognoscit, non est quod timet. Spirituales rationem non habent ut afflignantur, cū sint in tam eminenti gradu cōstituti: cum velint inter se solos cum Deo solo tractare, & omnia mundi delectamenta derelinquere.

Magnum nobis præstat fauorem si contentamur secum in horto manere, cuius ipse est Dominus, quia certum est, quod nobiscum sit, quodque velit ut plantæ crescant, & vires aliquibus aquam in isto puto administrando, alijs verò minime. Sed quid hoc ad me? fac tu Domine quicquid vis, modo tuam non offendam Maiestatem, virtutesque non perdantur, si quas mihi per infinitam tuam bonitatem dedisti: pati volo Domine, posteaquam tu etiam passus sis, vt tua in me voluntas adimpleatur: & non patiaris tuum dari amorem illis, qui tibi inseruiūt vt gustent. Est notatu dignum, idque dico quia per experientiam loquor & scio, quod anima quæ incipit per viam orationis mentalis procedere, cum firma deliberatione: & in animo proponit, non multum se curare vt consoletur, eo quod illi desunt gustus & teneritudo; vel quia Domi-

Dominus illa concedit , eiusmodi anima dico,  
maiorem itineris partem absoluit , & sperat  
quod non deficiet , licet quandoque impingat,  
quia incēpit supra firmum ædificare fundamē-  
tum. Itaque amor Dei in eo non consistit in ha-  
bere lacrymas, vel gustum, vel cordis teneritu-  
dinem ; quæ nos maximè quærimus, & in illis  
consolamur: sed bene consistit in seruiendo Deo  
in iustitia, animi fortitudine & in humilitate.  
Habere gustum potius iudico , quod sit magis à  
Deo recipere, quam Maiestati suę dare. Pro mu-  
liercula prout ego sum debilis & minoris forti-  
tudinis conuenire videtur , sicut mecum modo  
facit Deus amorem mihi demonstrando , vt ali-  
quam possim sufferre defatigationem & mole-  
stiam , ideo placuit Deo eam mihi concedere.  
Sed quod Dei ministri doctissimi & perspicaci-  
simi tanti faciunt sicuti video, quando Deus ip-  
sis deuotionem sensibilem non concedit , graue  
mihi est dum hoc audio. Non dico ego , quod  
non acceptant, quando Dominus illis mittit; sed  
non multum curant : quia tunc sua Maie-  
stas videt quid conueniat, sed quando non ha-  
bent, ideo non molestantur; quia pro tunc sci-  
unt non fore necessarium , postquam eis Deus  
non concedit : cum fibimetipsis dominantur.  
Sciunt quod secus faciendo deficerent , & ego  
hoc probauī & vidi. Credunt esse imperfec-  
tionem , si cum spiritus libertate non procedunt,  
quodque sint debiles in consequendo. Hoc non  
dico , pro illis tantum qui incipiunt , quibus  
multūm

multum conuenit; cum libertate spiritus & de-  
liberatione incipere; sed etiam pro illis, qui an-  
te multos annos incepérunt, & nunquam eò  
perueniunt: & id ideo prouenire credo, quia  
crucem à principio non amplectuntur. Solent  
tales remanere afflicti, persuadendo sibi ipsis  
quod nihil proficiunt, eo quod non possint per  
intellectum discurrendo operari, & sustinere  
non possunt, & forsitan tunc quando voluntas  
proficit & vigorem accipit, & non cognoscunt.  
Debemus cogitare quod Dominus ad ea non  
attendit in quibus nobis deficere videmur, cum  
non sit, nouit enim sua diuina Maiestas miser-  
riam nostram, nostramque abiectionem melius  
quam nosmetipsi nouimus; scit enim quod ta-  
les animæ aliud non desiderant, quam de Deo  
cogitare ipsumque diligere. Et hæc est deter-  
minatio, quam ipse omnino vult. Affligere ve-  
rò animam tunc ad aliud non seruit, quam il-  
lam inquietam reddere & molestia afficere, ita  
ut illa, quæ erat inhabilis ad proficiendum per  
spacium unius horæ, reddatur postea inhabilis  
per quatuor horas: quia multoties illa siccitas  
(secundum quod quandoque sum experta, &  
scio verum esse cum in eo multum laborauerim,  
nec non cùm hominibus spiritualibus &  
expertis tractauerim) prouenit ex corporali in-  
dispositione, & in tantum miseri sumus, vt in-  
felix & anima incarcerata fiat particeps miseriarum  
corporis & mutationum temporum: & sa-  
pius mutationes humorum causant, vt sine  
eius

ei⁹ culpa anima nō possit operari quod vellet,  
sed vt omni modo patiatur in illo statu & tem-  
pore; & qui vult illam cogere peius facit & diu-  
tius malum durat. Tunc verò conuenit vti  
discretione, vt cognoscatur si inde proueniat:  
& non opprimere miseram animam, sciant tunc  
quod sint infirmi, & ideo mutent orationis ho-  
ram, & s̄p̄ius per aliquot dies durabit, transi-  
gant illud exilium vti melius possunt, quia tunc  
magna est animæ, quæ Deum amat tribulatio:  
dum videt se viuere in ista miseria, & non pos-  
sit facere quod vellet, cum habeat sibi socium  
ita miserum prout est corpus. Dixi superius,  
quod conueniat vti discretionē, quia quandoq;  
Diabolus in causa erit, & sic bonum est, ne sem-  
per orationem intermittat, quando sentit intel-  
lectus distractionem & turbationem. Sunt alia  
opera externa charitatis in quibus tunc occu-  
pari poterit, vel in legendō, licet quandoque ad  
legendū non erit disposita. Inseruiatur tunc  
pro amore Dei corpori, vt alias animę inseruiat,  
habeat occupationes sanctas, cum bonis conser-  
uando, vel ad campos se conferat secundū Con-  
fessorum consilium. In omnibus experientia  
rerum est magistra, quæ nos docet, quid cuique  
conuenit: & in omnibus Deus seruitur, & eius  
iugum suaue est: & multum interest animam  
per vim non cogere, sed cum illa suauiter pro-  
cedere vt proficiat. Itaq; repetendo dico, quod  
neque propter siccitatem, neque propter in-  
quietudinem, aut intellectus distractionem de-  
bet

bet quis se affligere vel expauescere : si alioqui  
velit spiritus libertatem acquirere , nec debet  
seipsum semper molestare : sed neque crucem  
expauescat , quia videbit quomodo etiam in ea  
portanda iuuabit Dominus , idque cum magna  
animi satisfactione & lucro , quod ex omnibus  
haberi potest : quia iam videtur , si puteus non  
porrigit aquam , nos illam in situla imponere  
non possumus . Verum quidem est , quod , quin  
eam hauriamus quando ibi erit , negligere non  
debemus , quia illo modo vult Deus in nobis vir-  
tutes multiplicare .

## C A P . X I I .

*In quo sequitur primus status , & dicit quousque  
nos per Dei gratiam per nosmetipso peruenire  
possumus , & quam magnum sit dam-  
num , quando spiritum nostrum ad res super-  
naturales & extraordinarias extollere vo-  
lumus .*

**Q**UOD in præcedenti capitulo significare  
volui , licet ad alia quædam sim digressa ,  
meo quidem iudicio necessaria : & demonstrare  
quousque nos peruenire , & quomodo nosmet-  
ipso ex parte iuuare possumus , inuestigando &  
cogitando id quod Dominus pro nobis pertulit ,  
vnde ad compassionem mouemur , estque pœna  
illa suavis , & lacrymæ exinde profluente , ex  
consideratione gloriæ quam expectamus dul-  
ces sunt , & ex amore quem erga nos Dominus  
habet :

habet, & ex sua gloriofa resurrectione qua ad gaudendum mouemur, quod non est omnimode spirituale, nec totaliter sensuale; sed nihilo minus virtuosum, & est pœna admodum meritatoria: cuiusmodi sunt omnia, quæ ad deuotionem dant occasionem, quæ per viam intellectus in parte acquiritur: licet mereri non possit, nec acquiri si dominus non concedit, est admodum pro anima vtile; ne ultra hunc statum se per se ipsam exaltari procuret nisi à Domino exaltetur; id quod notatu dignum est, quia ad nihilum iuuabit nisi vt perdat. Poterit in eo statu multos exercere actus, vt determinate possit pro Deo operari multum, & amorem prouocare, vt alios iuuet quò virtutes augeantur: prout habetur in quodam libello, qui vocatur Ars inseruendi Deo, qui est admodum vtilis & accommodatus pro illis, qui sunt in illo statu: quia intellectus operatur. Poterit se Christo repræsentare, atq; se ipsum prouocare ad Christi sanctissimam humanitatem amandum, eumque semper secum portare, secum loqui, auxilium ab ipso in omni sua necessitate petendo, & secum propter suas passiones dolere, simul etiam gaudere propter eius consolationes, sine aliquibus orationibus ex verbis compositis: sed verbis tuo desiderio & necessitati conformibus. Et est modus breuis & extollens ad proficendum, & qui studebit secum habere eiusmodi preciosam sodalitatem, in ipsa præualebit, & erga Dominum verum habebit amorem, cui tan-

tum

tum debemus; & ego pono illos in numero illorum, qui paulatim lucrantur. Ut id assequamur non debemus procurare, ut habeamus deuotio nem, vt dixi, sed à Domino desiderare, ut in nobis desiderium relinquat ipsi satisfaciendi; licet opera nostra sint debilia. Modus iste Christum secum portandi, in omni statu iuuat, & est medium securissimum, vt in primo statu proficiamus: & vt statim perueniamus ad secundum gradum orationis, vtq; securi simus à periculis, q; nobis Diabolus proponit. Hoc est, quod facere possumus vt in primo statu progrediamur, vt spiritum inducamus: & gustū sentiamus, qui si non datur, aliud non est, quām vnam cum alio perdere, meo quidem iudicio: quia est res supernaturalis, & si perditur intellectus, anima remanet deserta, & cum multa ariditate, quia istud ædificium planè in humilitate fundatur, & dum magis ad Deum accedit, eo magis in ista virtute proceditur, alias omnia sunt fūstra: & apparet quod sit aliqua superbiæ species, velle ulterius procedere, posteaquam Dominus faciat satis, secundum gradum nostrum, vt ipsi appropinquemus, & hoc quod dico, intelligi non debet, vt nostris cogitationibus ad altiora Dei eleuemur vel etiam cœlorum, vel ad magnalia, quæ in ipsis inueniuntur, vt pote ad diuinam sapientiam, quia quamuis ego nunquam id fecissem, cum non habuerim, vt dixi, illud faciendi aptitudinem cumque inhabilis fuerim etiam in terrena cogitando, nihilominus Dominus mihi

gra-

gratiam contulit, vt cognoscerem hanc veritatem , quod parum non fuit eiusmodi audere, quantò magis cœlestia cogitando? Alij magis proficient, si fuerint docti, doctrina enim in hoc exercitio magnus est thesaurus , maximè si est humilitati coniuncta. Paucis ab hinc diebus vidaliquis doctos , qui multum breui temporis spacio profecerunt: & hoc in me meum auget desiderium, quatenus quamplurimi deueniant spirituales : sicuti in sequentibus dicam. Nunc verò circa illud, quod dixi, vt nemo sese exaltet nisi à Domino vocetur, id est lingua spiritus , & ideo ab ipsis tantum intelligetur, qui de eo aliquam habent experientiam: & ego illud aliter proferre nescio , si hac via non intelligitur. In alio modo orationis, sine discursu, de qua dicere incéperam, intellectus suam naturalem perdit operationem, quia illum suspendit Deus , prout meliori modo postea declarabo ; & suum mihi fauorem , vt dicere possim, administrabit.

Præsumere vel cogitare, quod nos intellectum possimus suspendere, est illud quod dico, non debet fieri, nec permittit vt cum eo cooperemur, alias siemus stupidi & frigidi , & neque vnum assequemur neque alterum, vbi , quando à Domino suspenditur & eum firmare facit, prestat ipsi stupendi materiam, vel occupatur , & sine discursu magis intelligit in spacio vnius ( Credo, ) quàm in multis annis intelligere possumus adhibita omni diligentia humana. Velle occupare animæ potentias & cogitare, vt facia-

H

inus

mus illis firmare stultum est: & repetendo dico,  
quod licet non cognoscatur, res est tamen non  
magnæ humilitatis, licet sine culpa, non tamen  
sine pœna, & labor erit frustraneus, & anima  
cum quodam tædio remanet, sicut qui vult sal-  
tare & à retro tenetur, q̄ vt sibi videtur, sua for-  
titudine est usus, & opere complere non potest,  
quod facere volebat, & ex paruo illo commodo  
seu utilitate, cum qua remanet, videbit ( consi-  
derare volens ) paruum illum humilitatis defe-  
ctum de qua mentionem feci: cùm illa sit virtu-  
tis istius excellentia, vt non sit eius opus: quod  
animam relinquit malè contentam. Videtur  
quod iam declarauerim, licet mihi soli inser-  
uiat: aperiet Dominus oculos ipsorum, qui hęc  
legent, vt per experientiam statim intelligant,  
licet ea adhuc in me fuerit parua. Multò tem-  
pore quā plurima legebam, sed illa non intel-  
ligebam: & licet multa mihi Dominus con-  
cesserit, tamen ne verbum quidem dicere poter-  
ram, vt intelligerer: & non paruum insumpsi  
laborem, & quando Dominus vult, in puncto  
temporis eo modo instruit, vt supra modum mi-  
rari debeam. Vnum cum veritate dicere possum,  
quod licet locuta sim personis spiritualibus,  
qui mihi conabantur explicare illud, quod mihi  
Dominus concederat, vt dicere possem; tanta  
fuit mea rusticitas, vt ne parū quidem vel mul-  
tum me iuuerit. Forsan voluit Dominus, qui  
semper fuit meus Magister, quatenus nulli obli-  
garer, nisi suę diuinę Maiestati. Magis magisq;  
stupesco.

stupesco, quod, (sine eo quod voluerim, aut pesterim, cum in hoc non fuerim curiosa, quasi virtuti tribuendum esset in similibus talem esse, & non in vanitate sicut semper fueram) sua Maiestas mihi in uno puncto ostendit, cum quadam claritate possibile, ut etiam modum sciam referre, ita quod omnes mei Confessarij mirarentur: & ego magis quam illi, ut quae melius meam rusticitatem noueram. Parum temporis est praeterlapsum quando hoc fuit, & sic quod Dominus me docuit, ego illud non proculo: sed tantum quod conscientiam meam concernit. Itaque repetendo dico, ut insinuem quod multum refert, non velle eleuare spiritum circa extraordinaria & supernaturalia, si alioqui Deus spiritum nostrum non eleuat, & est istud, quod statim intelligitur. Sed particulariter in mulieribus, quibus maius damnum est facere contrarium, quia Diabolus posset esse causa alicuius illusionis, licet pro certo teneam, quod Dominus non permettit, ut illi damnum patientur: qui per veram humilitatem volunt illi appropinquare, imo maius ipsi acquirent lucrum; ubi Diabolus putat inferre damnum. Nunc vero cum haec via pro incipientibus magis sit communis, & aliqua pro maiori cautela dixerim, cum expeditius haec alibi inueniantur, a proposito multum sum digressa, & hoc, non sine mea confusione fateor & deinde me scripsisse: licet non cum tanto sicut conuenisset me habuisse, sit Dominus in omnibus, & per omnia benedictus, posteaquam velit

H 2

&amp; sit

& sit contentus, vt ego quæ sum peccatrix, de  
eius rebus tam eximijs loquar & scribam.

## C A P. XIII.

*In quo tractat de primo statu, ponendo quædam  
que animaduerti debent contra quasdam  
tentationes, quas Diabolus quandoque pro-  
ponere solet, & sunt magna utilitatis.*

**V**I D E T V R mihi hoc in loco conuenire, vt aliquot referam temptationes quas in incipientibus vidi: quarum ego ipsa aliquot sum passa, & postea quædam adiungam pro maiori cautela, quæ mihi hic necessaria videntur. In principio itaque studeant omnia cum libertate & lætitia tractare: quia sunt nonnulli, qui sibi persuadent, qualiter debeat minui, vel extingui deuotio si forsitan aliquorum fiat obliuio. Bonum est, cum sui ipsius timore procedere, nec minus, nec magis sibi confidere: exponentes se se occasionibus quibus plerumque Deus offendit solet: id quod maximè est necessarium, quo usque homo se inueniat bene in virtutibus fundatum, quia non inueniuntur multi, qui in illis sunt fundati, quin reperiendo occasiones eorum naturæ præparatas distrahantur: & ideo dum viuimus bonum est per humilitatem, nostram miserabilem cognoscere fragilitatem. Sed multa sunt, vt dixi, in quibus permittitur, vt alias recipiamus consolationes & recreations, vt redeundo maiorem habeamus feruorem.

rem & animum ad orandum. In omnibus conuenit habere discretionem, similiter & fiduciā, postquam multum iuuat desideria non diminuere, sed de Deo credere, quod, si alioqui nitimus paulatim, licet tam statim non poterimus, ad illum perfectum statum peruenire, quo multis sanctorum, cum Dei gratia peruerterunt: qui si nunquam propositum resolutē fecissent in desiderando illum, & paulatim operi committendo, non ad tam altum peruenissent statum, & Dominus est amicus illis, qui animum habent sincerum, si alioqui cum humilitate procedunt, sibimet ipsis non confidentes. Non vidi vñquā; tales, in hac via, defecisse. Miror quando cogito quantum faciat in hac via, habere animum in aspirando ad altiora: licet tunc illas non sentiant vires, accipit tamen anima volatum & multum ascendit, licet, cum auicula quæ totally mutauit plumas cum quibus nascitur, defatigata se firmat cum volare non possit.

Præteriti s diebus multum apud me verba Apostoli considerabam vbi dicit, quod omnia possumus in Deo, in me ipsa tamen cognoscebam, quod nihil potuerim, attamen me multum iuuuit, quod dicit D. Augustinus: Da mihi Domine quod iubes, & iube quod vis. Considerabam similiter quod S. Petrus nihil perdiderit projiciendo se in mari, licet postea timuerit, Hæ primæ determinationes plurimum faciunt, licet in primo illo statu necessarium sit paulò lentius procedere, & discretioni adhærere, &

secundum magistri iudicium: sed debent procurare ne magister sit talis, qui doceat illos esse vaſa, vel bufones quodque non faciat, vt anima intendat lacertas tantum venari.

Præcedat semper humilitas, vt sciamus quod ciuſmodi vires ex nobis non procedunt; sed cōuenit, vt bene cognoscamus in quo modo debeat esse ista humilitas: quia credo quod Diabolus exinde multūm damni inferat, vt illi non proficiant, qui orationi vacant: eo ipso cūm male intelligentiam humilitatem, efficiendo vt appareat superbia alta habere desideria, velle ſanctos imitari, martyres deuenire, proponēdo nobis statim sanctorum exempla, & illorum actiones: quæ potius ſunt admirandæ, quam imitandæ, & in dando eorum operationes ſingulares executioni nos qui ſumus peccatores. Attamen debemus bene diſcernere quænam ſint admirandæ, & quæ imitandæ, quia cum non eſſet bonum, ſi quis debilis & infirmus veller multum iejunare, & pœnitentias auferas face-re, ire in desertum, in quo non haberet vbi dormire poſſet, neque manducare, & ſimilia. Sed bene adiuuante Deo poſſumus eo peruenire, vt habeamus contemptum rerum mundanarum, vt non æſtimemus honores, vt diuitiis non ſimus addicti: quia maiori ex parte habernus corda noſtra tam Augusta & lata, vt nobis defutram terram perſuadeamus, ſed ſi velimus aliquantulum, quæ corporis ſunt relinquere, & nos dare ſpiritui: tunc in uigilandum, ne noſtræ cogi-

cogitationes orationem molestent. De hoc verò multum doleo nos ita parum de Deo confidere, cum amore proprio abundemus: ita quod eiusmodi cogitationes nos molestare possint: & sic est, ubi spiritus est ita debilis & parū proficit, minima quæque nullius valoris, quam maximè illum molestant, & in tantum, quantum alios maxima quæque molestare consueuerunt, quæ multo maioris sunt momenti, & nos nihilominus ex nostra opinione illa pro spiritualibus aestimamus. Modus iste procedendi non alias mihi esse videtur, quam quod velimus corpus & spiritum simul accordare, ut ab hac parte hic quietem non perdamus, & ab altera ne Dei fruitione priuemur: & sic erit, ( si in iustitia ambulamus & virtutē sequimur,) sed est gallinæ passus, nec unquam per illum ad spiritus libertatem peruenietur. Videtur mihi modus iste procedendi bonus pro personis ordinariis, qui secundum conformitatem vocationis quam habet, ambulant, pro aliis verò qui sunt in incipientium statu, nullo modo desidero talem proficiendi modum, nec erit, qui mihi id persuadet quod scilicet bonus sit, quia experta loquor, & semper in eo statu permanssem, si Dominus ex sua bonitate aliam viam multò breuiores me nō docuisset: licet semper habuerim alta desideria, sed procurabam orationes & meo modo viuere. Credo si inuenissem, qui me altius volare docuisset, ad talem peruenissem terminum, ut quod designaueram opere implevissem,

uissem, sed mea peccata impediuerunt. Possunt  
præterea sanctos imitari , procurando solitudi-  
nem, silentium , & alias virtutes quæ hoc cor-  
pusculum non occidunt , quod verò tantopere  
Diabolus cùm anima nostra colluctat , & adiu-  
uat, vt illam inhabilem reddat , facit vt mortis  
occasione præstet, sanitatemque auferat, imò  
in lacrymis timorem ponit ne cæci fiamus : ego  
ipsa omnia ista sum experta, & ideo scio, sed ne-  
scio vnde melior visus & sanitas maior desidera-  
ri possit, quam ex tali occasione, ex qua perdere  
putant, ego cum fuerim supra modum infirma,  
ita quod ulterius non determinauerim corpus  
meum curare neque sanitatem, ligata semper ita  
remansi, vt nihil potuerim: sed modò licet pa-  
rum faciam , voluit Deus illam Diaboli astutiā,  
qui proponendo mihi timorem de perdenda sa-  
nitate, dicebam ego, parum refert si moriar, non  
indigeo quiete sed cruce, sic in multis clarè vidi,  
quod fuerit tentatio diabolica , vel mea debili-  
tas. Sed cum non habeam tantam mei curam , &  
tanto circa me ipsam non vtor amore , melius  
modo valeo. Multum itaque iuuat in principio,  
quando volumus orationi vacare, vt non simus  
puçillanimes, & in hoc creditote mihi, quia ex-  
perta loquor, vt alij meo damno addiscant , &  
cautiores reddantur. Est alia tentatio admodum  
ordinaria, quæ est desiderium, vt omnes fiant  
spirituales, quando incipitur gustari quies , &  
lucrum quod inuenitur. Id desiderare non est  
malum, procurare verò poterit esse nō bonum,  
si non

Si non fit cum discretione & dissimulatione, vt non appareat quod velit alios docere, quia qui vult in hoc casu proficere, conuenit vt possideat virtutes admodum radicatas, vt non præbeat alijs tentationes. Accidit mihi, & ideo scio, quando procurabam, vt alij se darent orationi, & videntes me loqui ex vna parte de rebus altis & magnis, maximæque utilitatis, quæ ad orandum inuitant, ex altera parte videntes me in virtutibus debilem & inopem, & eiusmodi donum possidere, illis exinde dedi temptationis causam, sicuti mihi postea dixerunt, non potendo comprehendere quo modo vna res cum alia consistere queat, & fuit causa, quod pro malo id non reputauerint, quod per suam naturam tale erat; videndo me id aliquoties facere, interim dum ipsi de me bene sentirent. Hoc facit Diabolus, vt appareat virtute præditus: quò ipsi fides habeatur, qui potest & intendit facere malum, maximè in præsentia multorum: & sic malignus multum lucratur, quanto magis tunc quando malum operatur, vnde factum est, quod in pluribus annis tres tantum profecerint ex eo quod ipsis dicebam. Sed postquam per Dei gratiam magis in virtutibus proficerem, simul etiā ipsi spacio duorum vel trium annorum multum profecerunt vt postea dicam. Occurrit præterea aliud magnum inconueniens, quod est quando anima suum perdit lucrum, quia illud quod magis in principio curare debemus est, vt cogitemus de salute solius animæ nostræ, & sibi

H 5 per-

persuadere quod in mundo non sunt alij quam ipsa anima & Deus, & illud est quod maximè sibi conuenit.

Aliam adhuc Diabolus offert tentandi occasionē, & est hæc zelo virtutis mixta, sicut & reliquæ, & necesse est ut benè intelligamus, & cōsideratè procedere oportet in sentiendo pœnam ob aliorum peccata, & defectus: quia nobis persuadet Diabolus, quod illud proueniat solum ex zelo amoris Dei, eò quod scilicet Deus offenditur, & dolendo pro Dei gloria, statim cupit adhibere remedium, & per hoc in tantūm sese cōturbant, vt eorum oratio impediatur, in quo maius consistit damnum, dum cogitant id virtuti tribuendum, & putant magnum esse honoris Dei zelum, summamque perfectionem. Non dico de pœna quam peccata publica adferunt, quæ in congregationibus sunt communia, vel quæ sunt in damnum totius Ecclesiæ, quæ proueniunt ex hæresibus in quibus videmus tot perire animas, hæc pœna est admodum bona, & non producit inquietudinem. Securius itaque animæ erit, quæ se dat orationi, vt omnium personarum habeat obliuionem (exceptis illis quibus obligatur) nec non aliarum rerum, & attendat ad seipsum, quò Deo placeat. Hoc planè necessarium est, & si vellem narrare errores quos inde succedere vidi, confidendo eiusmodi bonæ intentioni, nunquam dicendi finem facerem. Studeamus igitur semper virtuti, & aliis bonis operibus, quæ in alijs videmus & illorum peccata

cata per nostrorum peccatorum consideratio-  
nem cooperiamus. Hic talis est operandi mo-  
dus, qui licet statim cum perfectione nō fiat, ni-  
hilominus magna acquiritur virtus, quæ est, vt  
omnes nobis meliores esse iudicemus, vnde fa-  
uente Deo lucrari incipimus, quo in omnibus  
indigemus, & quando deest, diligentiam adhi-  
beamus, vt hanc nobis dare virtutem dignetur,  
qua habitâ nihil nobis ad bene operandum de-  
erit.

Considerent similiter benè ad maiorem cau-  
telam illi, qui multum per intellectum discur-  
runt, eliciendo ex vna re sola multos conceptus:  
id quod illis, qui per intellectum operari non  
possunt prout ego eram, non est vt considerent:  
nisi vt habeant patientiam, quo ad usque Domi-  
nus det illis in quo occupari poterunt & lu-  
cem, postquam ex seipsis parum possint, quia  
potius illorum intellectus obscurabitur, quam  
quod illis prodesse possit. Modò redeundo ad  
illos qui discurrunt, dico vt in hoc totum tem-  
pus non consumant, quia quamuis admodum  
sit meritorium, ipsis tamen non videtur, cum  
oratio sit ipsis suavis, vt fiat die dominico vel  
alio tempore in quo non laboratur, & statim vi-  
detur illis tempus illud esse perditum, & ego di-  
co quod perditio ista sit magnum lucrum, sed  
ita, vt dixi, vt repræsententur Christo, & sine eo  
quod intellectum defatigent, maneant cum eo  
loquendo & sese consolando, sed non forment  
conceptus, sed solum repræsentent necessitatem  
& ra-

& rationem quæ debet supportari, & vnum fiat  
hoc tempore & aliud alio tempore, ne anima  
nauseam patiatur de eodem cibo semper man-  
ducando. Iste sunt cibi suaves & utiles, & si gu-  
stus assueuerit ex ipsis manducare, magnum pre-  
bebunt pro anima nutrimentum, vt illi vitam  
præbeant, magno cum fœnore. Volo me melius  
declarare, quia hæc que ad orationem pertinent  
sunt difficultia, & non ita bene intelligi possunt  
sine magistro; id quod mihi causam præbet, li-  
cet brevior esse volebam, & sufficeret solùm at-  
tingere pro ingenio illius, qui mihi mandat, vt  
scribam illa quæ ad orationem spectant.

Mea itaque rusticitas non permittit, vt (quod  
plurimum refert) paucis dicam, vt intelligar,  
nam cum in me ipsa tanta passa sim, compatrior  
illis, quicunque modo libros accipiendo huius-  
modi opus aggrediuntur; & est res admiratione  
digna, considerando quanta sit differentia ab  
effectu, quando postea sequitur experientia.  
Itaque reuertendo ad illud quod dicebam, po-  
namus per exemplum cogitando aliquem actū  
sanctissimæ passionis Christi Domini nostri,  
quando alligatus fuit columnæ. Intellectus ibi  
perquirat rationes dolorum & pœnarum, quas  
in illo actu pertulit, inueniendo se solum & de-  
relictum, & multa alia quæ intellectus discur-  
rendo formare in illo actu poterit, & hic est mo-  
dus quem obseruare debent omnes, qui orare  
incipiunt, & hunc modum sequi debent & ora-  
tionem finire, & est multum excellens & via se-  
cura,

cura; quousque Dominus illorum intellectum ad supernaturalia eleuat. Dico ( omnes ) quia sunt aliæ animæ quæ multum proficiunt in alijs meditationibus , quæ in illis quæ sunt de sua passione, postquam multæ & diuersæ sint in cœlo mansiones. Alij sunt qui se affligunt cogitando inferni pœnas, alii mortem, ali j sunt corde teneriores, qui defatigantur meditado Christi passionem , & gustant & multum acquirunt ex consideratione diuinæ potentiae & Maiestatis in creaturis , & amoris quem habuit , qui in omnibus repræsentatur , & est mirabilis procedendi modus; non relinquendo vitam & passionem Christi, à qua nobis omnia bona proueniunt. Debet qui orare incipit bene animaduertere in quo magis proficit : quia necessarius est magister, si alioqui est persona experta , nā aliæ poterit grauiter errare , dum vult alicuius animam instruere , sine eo quod illum cognoscat, neque permittat, vt sui ipsius cognitionem habeat , nam cum sciat magni esse meriti obedire magistro, non audebit contra eius facere mandatum. Noui quasdam ita afflictas ex defectu illorum, qui eas dirigebant & docebant non habentes experientiam ; ita quod ad compassionem mota fuerim. Reperi quandam quæ nesciebat quid de se ipsa facere deberet, quia non intelligendo spiritum , animam affligebat & corpus , & profectum impeditiebat.

Quædam mecum tractans , dicebat se octo annis ita à magistro detentam fuisse, vt non permiserit

miserit sese à propria sui ipsius cognitione defle-  
ctere, idque iam quando Dominus eam in ora-  
tione quietis posuisset, quare multum affligeba-  
tur: nam quantumlibet sui ipsius cognitio non  
debeat vñquam derelinqui, nec sit anima in hac  
vita ita Gigas, quin indigeat multoties redire ad  
pueritiam, & lac denuo concupiscere. Nemo  
hoc vñquam obliuiscatur, & ideo id repetam  
aliquoties; cum multum intersit, videlicet nul-  
lum esse orationis statum ita excellentem, quin  
etiam nessarium quandoque sit, denuo à princi-  
pio incipere; hinc est, quod peccatorum consi-  
deratio, & sui ipsius cognitio sit panis quotidia-  
nus, cum quo alij cibi manducari debent: sint in  
hac vita tam suaves vt velint, sine eo tamen su-  
stentari non poterunt: sed cum mensura man-  
ducari debent, quia cum anima se videt inflam-  
matam, & clarè cognoscit, quod nihil boni à se  
ipsa habet, se ante maiestatem tanti Regis con-  
fusam videt, & considerat quam parum illi, re-  
spectu eius, quod debet, persoluit, necesse est  
enim vt tempus in illis consumat, quæ Domi-  
nus illi proponit, si alioqui progredi velit, &  
non debent derelinqui, cum sua diuina Maie-  
stas multò melius sciat qualis cibus manducari  
debeat, quam nos ipsi scire possumus. Multùm  
itaque interest, vt Magister iit expertus, habeat  
que bonum iudicium, & si adiunctam habet do-  
ctrinam multum præstabit: sed si tria illa in uno  
inueniri non possunt, prima duo magis sunt ne-  
cessaria, quia ipsi cum doctis conferre poterunt  
quando

quando necesse erit. Dico in principio, quia ubi non sit orationis exercitium, doctrina parū prodest. Non dico q̄ non tractent cum doctis quia quando spiritus non procedit cum veritate, potius vellem quod orationem non faceret, magnum est habere doctrinam, quia docti sunt, qui nos instruunt, qui parum scimus, & lumen administrant, quando nos veritati sacræ scripturæ inniti docent, & sic facimus ad quod tenemur, & à deuotione impressos liberet nos Dominus. Me volo declarare melius, postquam me in multis intermisceo, semper enim hunc habui defectum, ut compēdiosè declarare nō possim quod volo. Verbi gratia, incipit Monialis sese dare orationi, si homo simplex fortè illam gubernabit, illi proponet melius fore vt sibi obediatur, quam suo superiori, & hoc faciet sine malitia, quia si ipse non est religiosus, videbitur quod sic fieri debeat, si verò erit mulier matrimonio iuncta, dicet melius fore vt vacet orationi quando attendere ad curam domesticam debet: licet etiam fieri possit, vt hoc marito displiceat, & ita non scit distinguere tempus in rebus veritati correspondentibus: & sic cum talis veritatis lumen non habeat, illam alijs administrare non potest, etiamsi velit: & quamuis aliquibus, ad hunc effectum literæ non videantur necessariae, ego tamen semper fui & ero istius opinionis: vt scilicet quilibet Christianus tractare studeat cum doctis si fieri potest, & quanto sunt meliores eò melius, & illis magis indigent, qui per viam

viam orationis procedunt, & quāto magis spirituales sunt, tāto magis eorum indigent auxilio, & nō decipiuntur illi dicendo, quod docti sine oratione pro ipsis nō sunt, q̄ illos exerceat. Cōtuli cū multis abhinc aliquot annis, & magna cum diligentia in mea habere necessitate, illos, q̄ue semper in magna existimatione habui: quāuis aliqui illorum non habeant experientiam, propterea à spiritu non abhorrent, & non sunt ignari, quia in sacra scriptura quām semper in manibus tenent, veritatem boni spiritus inueniunt. Pro certo teneo, quod qui orationem exercēnt & cum doctis tractant, si alioqui per se metipso decipi nolunt, à Dæmonio per illusiones non decipientur, quia mihi persuadeo qualiter dæmones doctos multum timeant, si sunt humiles & virtutibus præditi: scientes quod per illos manifestabuntur, quodque damnum inueniunt. Hoc dixi propter quosdam, qui istius sunt opinionis, dicentes homines doctos non esse pro illis, qui sese dant orationi, si spiritum non habent. Iam dixi necessarium esse habere magistrum spiritualem, sed si non est doctus, magnum est inconueniens, sicut è contra cū doctis tractare, maximum præbet emolumētum, modo sint virtutibus præditi, licet adhuc spiritum non habeant, multum iuuabunt, & Deus facēt eos cognoscere quid docere debeant, vt iuuare possint; efficiet Deus vt spirituales fiant, & hoc per experientiam dico, cum id mihi cū pluribus quām duobus euenerit.

Dico

Dico præterea illum grauiter errare, qui vult, ut  
anima vni solō magistro omnino debeat esse  
subiecta, si alioqui non procurat, ut talis sit, ma-  
ximè si illa est religiosa, & debeat suo prælato  
obedire, fieri enim potest, ut tres illæ qualita-  
tes in illo desiderarentur, in quo non parua erit  
molestia & pœna, si aliqua persona ex propria  
voluntate se submittat eius iudicio, qui bonum  
non habet. Ad istud certè me ipsam cogere non  
potui, sed neque conuenire mihi videbatur. Sed  
si eiusmodi persona, est sacerdotalis, Dominum  
laudet, quæ potest eligere, cui velit obedire, &  
hanc virtuosam non perdat libertatem, imò si-  
ne magistro potius remaneat, quousque inue-  
nire potest, qui habet eiusmodi qualitates, quia  
per Deum non stabit quin illi detur, modo cum  
humilitate procedat, & cum desiderio illud exi-  
mium bonum acceptandi, ego verò in hoc ma-  
ximè Dominum laudo, sicuti & omnes milieres  
& indocti facere debent, suæ diuinæ Maiestati  
gratias referendo, quod cum tanta difficultate  
veritatem inuenient, qualem nos cùm igno-  
rantes simus, nesciebamus. Miror summopere  
cum videam doctos, maximè religiosos tanta cū  
difficultate sibi comparare, quod ego sine ali-  
quo labore, interrogando tantum mihi compa-  
rauerim. Sed quid? Postquam inueniantur,  
qui in eo præualere nolint? Faxit Deus, quod  
non sint. Video illos oneribus religionis sub-  
iectos, quæ magna sunt cum pœnitentijs, malè  
manducando, superioribus obediendo, id quod

I

mihi

mihi quandoq; magnam præbet confusionem,  
& ulterius malè dormiendo, quæ omnia crucē  
præbent & molestiam. Videretur mihi fore  
magnum malum, si quis tantum bonum propria  
sua culpa perderet, perdere forsitan aliquis no-  
strum poterit, qui sumus extra illas molestias,  
qui recipimus cibum præparatum & accom-  
modatum, ut dicere solent, & nostro modo vi-  
uimus. putamus nos alios præcedere, qui tot ex-  
periuntur molestias, eo quod parum plus exer-  
citij in orationibus habemus. Benedictus sis tu  
ō Domine, qui me inhabilem ita & sine fructu  
fecisti. Sed multo magis te laudo, posteaquam  
tutam multos excitas, quo per illos instruamur,  
ita ut nostra pro illis continua deberet esse ora-  
tio; qui nobis lucem administrant, alioqui mo-  
do sine illis, in hac tempestate in qua hoc tem-  
pore miserrimo ecclesia inuenitur, & nos esse-  
mus, & quantumlibet inuenti fuerint aliqui  
maligni & pessimi tanto nihilominus meliores  
resplendent, faxit Deus, ut sub sua illos conser-  
uet protectione, eosque adiuuet quo & nos per  
ipsos adiuuemur, Amen.

Multū à meo proposito primo de quo tra-  
ctare incep̄eram sum digressa, in gratiam illo-  
rum, qui orare incipiunt, ut in tam excellenti  
via eo modo incipiāt, quod per veram viam pro-  
grediantur. Nunc reuertendo ad illud, quod  
prius dicebam, in cogitando Christum ad co-  
lumnam aliquantulum discurrere bonum est, &  
pœnas quas ibidem passus est considerare, & ra-  
tiones

tiones & causas quare passus sit, & quis sit qui est passus, & quo amore pertulerit, sed anima id quærendo non defatigetur, sed per intellectū cum Christo remaneat, & sit ipsi ita comes, vt secum loquatur, rogando vt se ita humiliare dignetur, vt secum loquatur: & dicas illi quod in tali loco stare promeritus non sit. Quando eò peruenire poterit, licet adhuc fuerit in orationis principio, magnam sentiet utilitatem. Certè anima mea talem sentit, vt ne quidem aliquo signo exprimere eam possim. Sua Reuerentia consideret, si ita est, faciat Dominus vt mecum in omnibus dignetur esse contentus, Amen.

## C A P. X I V.

*In quo tractatur secundus gradus orationis, qui est, quando anima gustus magis particulares sentire incipit, ut cognoscantur quod sint dona supernaturalia, & est notatu dignum.*

P Ostequam iam dixi quanto cum labore hic hortus irrigatur, ex puteo labore manuum aquam hauriendo, nunc dicemus quomodo secundò ex ordinatione Domini huius horti minori cum labore per instrumētum quoddā hauritur, ita vt labor non debeat esse continuus, & aliquando requiescere potest. Hic incipit anima coadunari, & est donum supernaturale, postquam illa nullo modo possit istum statum acquirere adhibita qualicunque diligentia, Verum est, quod per aliquantulum temporis, vtens

illo artificio defatigetur , & defatigando sese per intellectū vasa impleuerit , sed hic est aqua paulo altior,& ideo minor est defatigatio,quām si ex puto hauriretur,dico quod aqua sit magis vicina,quia illud donum animæ datur , vt clarius cognoscatur. Hoc aliud nihil est,quam potentias in se colligere , vt maiori cum gustu in eo delectetur , in quo se contentam videt : sed ideo potentiae non perduntur , vel dormitant, sed sola voluntas occupatur,tali modo ( sine eo quod sciat quomodo ) vt captiuetur & includatur,sciens quod ipse idem Dominus ex sua voluntate se ipsum in anima captiuum reddit,quā ipse amat. O Iesu & Domine mi , quantum hic tuus iuuat amor , qui tantopere nostrum ligatum tenet ita, quod aliud nihil in eo momento amare posse videatur quām te. Aliæ duæ potentiae voluntatem adiuuant , vt habiles fiant ad gauderendum in tanto bono, licet quandoque eueneriat , quod stando vnta ipsa voluntas , multum impedianc, sed de eo non curatur, sed remanent in sua quiete & gaudio , etsi velint denuo se colligere , voluntas & voluntas & duæ aliæ potentiae perdentur ; quia sunt tunc sicut columbæ,quæ eo cibo non sunt contentæ quem Dominus columbarij sine earum defatigatione tribuit, sed cibum alibi querunt,& sic difficulter inueniunt,vt redire cogantur , & sic vadunt & redeunt , vt videant si voluntas alicuius fit particeps de quo gaudet , & si Dominus illis cibum præbere velit remanent, sin minus vadunt

vt quæ-

vt quærant, & credere quod voluntati vtilitatem præstent, sed quandoque volens memoria, & imaginatio repræsentare, id quod gaudet, nocet. Animaduertat igitur, vt ita cum dictis potentijs procedat sicut dicam. Omne quod in hoc casu contingit, maximæ est consolationis, & ita paruilaboris, vt oratio non defatigetur, licet diutius duret, quia intellectus in hoc loco successiue multum operatur, & plus intelligit, sicut ille qui per industriam plus aquæ ex puto haurit, quam qui vi manuum suarum haurit, lacrymæ quas hic Dominus dat sunt cum condimento, & licet sentiantur, tamen non procurantur. Hæc aqua diuinæ gratiæ est tanti boni, quam hic Dominus dat vt faciat virtutes primæ orationis sine aliqua comparatione crescere, & crescendo recipit aliquam notitiam gustus diuinæ gloriæ, & ita crescit vt perueniat ad veram virtutem quæ Deus est, vnde reliquæ omnes virtutes proueniunt: quia sua maiestas incipit se eiusmodi animæ communicare, & vult, vt ipsam sentiat, in quo modo se illi communica. Incipit statim quando hucusque peruenit perdere desiderium verum terrenarum ( pro quo non potest satis Deo gratias agere,) clarè videndo, quod ne per unicum quidem momëtum, istius satietatis gustus hic haberi potest: nec sunt diuitiæ, nec dominium, nec honor aut delectamentum in hac vita quæ sufficiant ad explicandum hunc gustum, quia est vera satietas: & videtur quod anima satiatur, vbi hic in terrenis

saciari non potest. Videtur mihi, quod intelligimus in quo sacietas illa remanet, cum hic non remaneat aliqualis displicantia: & tunc est plenus gustus, sed displicantia postea succedit, vidento q̄ gust⁹ sit finitus & nō possit illū recuperare, nec scit quomodo, quia licet seipsum defatiget per pœnitentiam orationes, & per alia, si Dominus dare non vult, omnia parum iuuant. Vult per suam magnificentiam Deus, ut anima cognoscatur, quod sua maiestas adsit: vt iam non sit necesse inuitare illam, sed secum sine strepitu loqui, cùm ibi sit præsens; & quod mouendo tantum labia intelligat, & cum anima maneat. Videbitur forsitan impertinens quod dico, cum sciamus, quod Deus omni tempore intelligit & nobiscum manet, de quo dubitare nō licet quin ita sit. Itaq; dico quod noster Imperator & Domin⁹ vult ut intelligamus hic, quod ille intelligatur, & id etiam quod sua præsentia operetur, & quod velit particulariter cum magna illa satisfactione operari, quam tribuit interius & exterius magna cum differentia: quæ est inter delectationem & sacietatem huius mudi & illam, quia repleri videtur illud vacuum quod per nostra peccata in anima nostra fecimus. Illa satisfactione in interiori animæ nostræ inuenitur, & nescit per quam viam, nec quo modo venerit: nec scit quandoque quid facere, quid velle aut quid petere debeat. Videntur omnia simul inueniri, & nescit quid inuenierit, nec scio modum quod declarare id possim ut intelligar, quia illi

illi magna hic doctrina est necessaria, qui nos ad hoc propositum instruere vellet: cum multi ne-  
sciant, quid sit auxilium, vel gratia generalis &  
particularis, & istud auxilium particulare hic  
vult Dominus, vt anima illud videat, quasi vt  
dici solet, oculis nostris, & propter alia nonnul-  
la in quibus errores contineri possunt, & ideo  
dixi bonum esse si docti sint. Sed cum sciam  
quod quæ hic scribo docti reuidebunt qui in-  
telligunt: si aliquis error hic erit, parum curo,  
& securè procedo, sciens quod tam in literis  
quam in spiritu possim remanere securissima,  
cum mea scripta præsentari illis debeant, qui iu-  
dicium habent, & si quid in illis mali est aufe-  
rent. Nūc verò indicare vellē id quod est, sicuti  
quoddam principium, quando Dominus inci-  
pit eiusmodi præstare fauores, ipsa enim met  
anima eos non cognoscit, nec scit quid de se  
ipsa facere debeat, quia si Deus illā per timoris  
viā custodit, sicuti me custodiuit, labor erit ma-  
gnus, si alioqui nō habet magistrū, q̄ intelligit.  
Sed & est magni gustus, ab ipso intelligere ani-  
mæ suæ interiora, quod est seipsum quasi vide-  
re depictam, vt clare videat, quod per eam viam  
procedit, & magnum est bonū illud scire quod  
facere debet, vt, in quoconque statu velit, pro-  
grediatur. Multas habui molestias, nec non  
multum temporis insumpsi, cum nescierim  
quid facere debuerim, multisq; compatior ani-  
mabus, quæ, cum ad hunc terminum perue-  
niunt, sunt solæ, quia licet multos legerim li-  
bros spirituales, qui illud tractent, quod ad hoc

I 4 propo-

propositum facit, attamen parum declarant, & licet satis declarent, habebit nihilominus anima quod agat, vt seipsum intelligat, si alioqui non sit bene exercitata.

Desidero mihi à Domino gratiæ abundantiam, vt in hoc loco exprimere possim effectus quos in anima res illæ supernaturales operantur, vt ex effectibus intelligatur quādo est Dei spiritus quantum in hac vita intelligi potest, licet semper bonum sit, vt procedamus cum timore & consideratione, quia quantumlibet sit à Deo, posset dæmonium se transfigurare in Angelum lucis; & si anima non est optimè exercitata non cognoscet: & conuenit, vt cognoscat & intelligat, quod sit exercitata quò ad orationis culmen perueniat.

Sed multum tædij sentio, vt necesse sit auxilium à Domino implorare quò me adiuuare dignetur: cum mihi sint facienda exercitia communia, quæ aliæ Moniales faciunt, & multæ se offerant occupationes, prout in monasterio, quod construi incipitur, vt postea videbitur, & sic parua cum quiete successiūe scribo, cum quæ scribo summam requirant quietem: quia cum Dominus suam præstat gratiā, multo facilius & melius exprimuntur cōceptus. Et est simile, sicuti, quando quis habet depictum exemplar, ex quo accipit, quod laborare, aut depingere intendit. Sed si spiritus deficit, difficile quod mente concipiatur, exprimi potest, licet multis annis in oratione perstiterit. Sic etiam attendendo oratio-

orationi dum scribo facilius succedit, videndo  
clare, quod non sum ego, quæ loquor; nec id per  
lucem intellectus mei dispono, cum saepe sepius  
contingat, ut postea non sciam, quo modo id di-  
cere debeam. Ad nostrum reuertamur hortum,  
& videamus quomodo præparari arbores de-  
beant, ut floreant, fructum præbeant, & tot flo-  
res quot chariophili producant, utque suauem  
emittant odorem. Vsi huius comparationis  
delector. Nam in principio vitæ meæ spiritua-  
lis, quando placuit Domino, ut inciperem ipsi  
inseruire, infinitam mihi præbuit delectationem  
mihi persuadendo, qualiter anima mea quidam  
pro Domino hortus esset, in quo deambulando  
rogabam, ut augere paruorum florum virtutum  
odores dignaretur, qui iam cœperant prodire,  
& quod eiusmodi videndo pro ipsius essent glo-  
ria, quodque ad aliud non consideraret, quam  
quod superfluum esset illud præscinderet, cum  
nihil pro me voluerim; optimè sciens quod in  
meliori statu germinare deberemus. Dico (præ-  
scindere,) quia tale in anima mea venit tempus,  
in quo amplius non fuit memoria huius horti,  
ita quod visus sit siccus, quodq, non inuenire-  
tur aqua ad sui conseruationem; imò videbatur  
quod nulla in anima mea virtus remanserit.  
Quo tempore magna erat hortulanî molestia,  
cum videretur eius labor frustraneus quem in  
excolendo & hortum conseruando insumpse-  
rat. Tunc oportunum erat tempus illas herbas  
malas eradicandi, licet paruæ essent, quæ re-  
manse-

manserant, considerando nullam sufficere humanam diligentiam posse, si alioqui Dominus gratiæ suæ aquam nobis aufert, nostra quæ facimus bona parum æstimando, & pro nihilo reputando. Hic magna acquiritur humilitas, & flores de nouo crescere incipiunt.

O Domine hoc sine lacrymis referre non possum, nec non sine ingenti animæ meæ satisfactione, eo quod hoc modo nobiscum remane redignaris. Tu enim es in sanctissimo sacramento, quod credere verè debemus, cùm ita & in veritate sit: & cum magna veritate hanc possumus facere comparationem, & si alioqui ex nostra non prouenit culpa, cùm tua Maiestate gaudere possimus, posteaquam tu nobiscum manendo gaudes, dicendo, delicias tuas esse cum filiis hominum. Sed quid est ô Domine, cùm maximam sentiam consolationem eiusmodi audiendo? eamque sentiebam quando adhuc in perditione eram peccatisque obnoxia. Possibile ne est ô Domine, vt inueniatur anima, quæ cò peruenit, vt cognoscat fauorem & amorem, quò cùm ea remanere gaudes, denuo te offendere audeat, & nihilominus tanti amoris distractionem suffers, vt quotidie per experientiam videmus? Certum est quod eiusmodi inueniantur, sicuti ego non semel sed sæpius, faxit tua summa bonitas, vt ego sola sim ingrata, & illa quæ tanta commisi mala, summam & excessi uam demonstrauerim ingratitudinem: licet etiā per tuam infinitam bonitatem ex eo bonum elegeris

elegeris, nam quanto maius est malum tantò  
magis, misericordiæ tuæ respliceret bonum,  
hinc non sine ratione cum Prophetæ cantare  
possim.

*Misericordias Domini in æternum cantabo.*

Rogo te ô Domine Deus, vt ita sit, & sine fine  
cantem, postquam tibi complacuit ita benignè  
mecum procedere, ita vt mirentur, qui me vi-  
dēt, & me ipsam extra me rapiunt sepius, vt me-  
lior te laudare possim, quā si in me essem, sed sine  
te ô Domine nihil possum, cuperentque flores  
huius horti truncari, quatenus infelix hæc terra  
denuo deueniat sterilis & arida vti prius erat.  
Sed non permittas Domine, vt perdatur anima  
quant tanto cum labore redemisti, toties de no-  
uo liberasti, & ex fauibus Draconis eripuisti,  
Ignoscat mihi sua Reuerentia extra propositum  
primum loquendo, dum nunc ad meum loquar  
propositum. Non miretur, cum res ipsa ita se  
in anima mea habeat sicuti nunc eam describo,  
quia procedere ita quandoq; prodest, vt in lau-  
dibus diuinis firmari & inhæreri melius possit,  
quando in scribendo se repræsentant, vnde  
quis magis se obligatum videt, hic est, quod vt  
credo tuæ Reuerentiæ non displicebunt, post-  
quam ambo (licet diuersimode) idem cantare  
possimus, cum & multò plura Deo debeam, ex  
eo quod quā plurima mihi peccata dimisit,  
sicuti admodum bene tua reuerentia nouit.

C A P.

Prosequitur eandem materiam, & aliqua ponit  
ad maiorem cautelam , dicendo quomodo  
anima se in oratione quietis gerere debeat:  
tractat qualiter multæ inueniantur animæ,  
quæ eo perueniunt , ut hanc orationem pos-  
fideat, pauca verò quæ ulterius progrediun-  
tur , sunt admodum utilia & necessaria.

**A**D propositum redeamus. Hæc animæ quies, est quæ multum in satisfactione & pace sentitur , quæ in ipsa ponitur anima cum potentiarum satisfactione & quiete, vt cū suaui admodum delectatione. Videlur illi, quæ ulterius non est progressa, nihil amplius vel magis desiderandum & bona voluntate , cum S. Petro diceret: faciamus hic tria tabernacula. Mouere se tunc anima non audet, timens ne illud bonum abscindat, & ne respirare quidé vellet, & nescit anima misera , quod nihil ex se possit , quo tantum bonum ad se attrahat, & multo minus retinere diutius poterit, quam Dominus vult. Iam dixi, quod in illa prima quiete, ipsius animæ potentiae nō deficiunt, sed anima ita remanet cum Deo contenta, vt dum in isto statu permanet, licet aliæ duæ potentiae concertent, omni modo manendo ipsa voluntas Deo unita , quies ipsa non perditur , imò paulatim denuò incipit intellectum colligere & memoriam , quia quantumlibet illa omnimode non remaneat repleta,

pleta nihilominus remanet optimè occupata, & nescit quomodo: etiam si diligentiam adhibeāt, non possunt illi auferre suum gaudium & facietatem, imò sine magno labore, adiuuat se ipsam, ne illa parua amoris scintilla extinguitur. Dominus mihi gratiam tribuat ut ita exprimere possim, quo intelligar: sunt enim quamplurimæ animæ, quæ ad hunc statum perueniunt, paucæ verò quæ vterius progrediuntur, & nescio cuius culpa proueniat: cum certum sit quod per Deum non stat, cumque sua Maiestas gratiam vterius progrediendi tribuat, & non dubito quin etiam multò maiorem daret, si per nos non staret, & multum refert si anima cognoscit magnam in qua est dignitatem & fauorem quemilli fecit Dominus, & sic iusta ratione terrenis amplius affici non deberet: cum sua diuina bonitas illam cœlis vicinam fecerit, si alioqui aliter sua culpa succedet, infelix erit si defecerit. Credo quod si non perseuerauerit, illam in profundum præcipitari permittet, sicuti mihi contingebat, si alioqui Dominus me per suam misericordiam non reuocasset. Istud plerunque accidere solet meo quidem iudicio propter culpas grauiores, & non est possibile tantum relinquare bonum, sine magna plurimorum malorum cœcitate. Rogo itaque omnes animas ob amorem Domini nostri, quibus sua Maiestas talem tribuit fauorem, vt cum ad talem statum peruerenterint, cognoscant & per sanctam humilem præsumptionem in pretio habeant, ne eorum

rum culpa ad ollas ægyptiacas reuertantur. Si verò per debilitatem, malitiam, & peruersam inclinationem ceciderint, sicuti ego, semper sint memores istius boni quod perdiderunt, & seiphas habeant suspectas, in timore ambulent: idque non sine ratione, quia si ad orationem nō redeunt, de malo in peius incident. Casum vo-  
co quando viam abhorrent, per quam illud bo-  
num obtinuerant, & illis animabus loquor. Nō  
dico quod non sunt casuræ, ita vt Deum offen-  
dant & peccatum aliquod faciant, licet ratio-  
nabile esset, vt seiphas optimè ab illis custodiré,   
illæ p̄cipue, quæ à Deo eiusmodi gratiam ac-  
cipere inceperunt, verum fragiles & miseri su-  
mus. Attamen serio videant ne orationem in-  
termittant, quia hic intelligent id quod faciunt  
& dolorem à Deo acquirent & contritionem,  
nec non surgendi vigorem, & certo certius cré-  
dant si ab oratione diuertent, quod ad maxima  
pericula current. Nescio si intelligo quod dico,  
quia ex me ipsa alios iudico. Et in isto orationis  
modo vult Dominus, vt per paruam veri sui  
amoris scintillam, quam Dominus in anima in-  
cipit accendere, intelligat quid sit iste amor  
communi fauore.

Ista quies, & collectio & scintilla si est Dei  
spiritus, vel gustus à Dæmonio datus, vel à no-  
bis procuratus, licet ille, qui benè est expertus,  
sit impossibile, vt non statim intelligat non esse  
tale quid quod acquiri possit: Sed quia hæc na-  
tura est in tantum desiderosa gustum acquirédi  
ideo

ideo omnia probat , sed multum frigida breui temporis spacio remanet , quia licet multum velit & conetur hunc ignem accendere , quo gustum illum lucretur , non tamen aliud facere videtur , quam quod aquam addat , ut extinguatur . Nunc verò parua ista scintilla in anima à Deo posita sit tam parua ut velit , magnum tamen excitat rumorem , & si peccata nostra non delentur , est illa quę postea magnum accendit ignem , qui ex se flamas emittit maximi Dei amoris , ut suo loco dicemus , quas vult sua diuina Maiestas ut animæ perfectæ habeant , & ista scintilla est indicium siue pignus , quod Deus animę tribuit , quam ad magna eligit , si alioqui sese ad ea disponit ut recipiat , & est maius donum , quam unquam dici possit . Ad condolendum moueor cū videā ( ut dixi , ) quod multæ animæ ad eiusmodi signum perueniant , & vtterius non procedant , & sunt tam paucæ , ut pudeat me dicere . Non dico , quod sint paucæ , quia etiam multæ sunt quas Deus pro maioribus alijs rebus conseruat , sed loquor de illis quas ego vidi . Hoc vellem , ut supra modum attenderent , ne talentum abscondant , quia videtur Dominus illas ad aliorum salutem elegisse , maximè hisce temporibus , in quibus necessarium est , ut sint amici Dei , forsitan ut debiles sustententur , & illi qui in seipsis tales cognoscent gratiam , sese pro eiusmodi habeant , ut sciант legi correspondere , quam etiam huius mundi amicitia requirit . Aliter vivant , sicut dixi , cum timore , ne sibiipsis dam-

num

num inferant, & faxit Deus, vt sibiipsis tantum.  
Quod verò tempore quietis debeat facere anima hoc solum est, vt procedat cum suauitate & sine strepitu, strepitum voco per intellectum procedere quærendo multa verba & considerationes, vt gratiæ reddantur pro tali beneficio, & accumulare peccata propria & defectus, vt cognoscat non mereri. Totum illud hic mouetur, intellectus repræsentat, bullit memoria, & certè istæ potentia mihi magnam adferunt defatigationem, & licet paruam habeam memoriam submittere illam non possum. Voluntas postea in illo tempore quietis, cum quiete & consideratione considerat, qualiter cum Deo per brachiorum potentiam non bene proceditur; & sunt in modum lignorum magnorum, quæ si sine discretione apponuntur scintillam extingut, hoc ipsum cognoscat & cum humilitate dicat. O Domine quid hic facere debeo? Quid famula tua videre debet, cum Domino suo & terra cum cœlo? vel alia verba quæ sese offerent amore plena, remanendo optimè fundata in cognoscendo illud verum esse quod dicitur, & non curet intellectum, qui nimium est importunus., et si anima illi velit partem dare istius quod gustat, vel defatigatur, vt denuo colligat nō bene facit, sæpè.n. euénit, vt in ista vnione volūtas maneat quieta, & vñita, & intellectus inquietus, & est melius, vt eum relinquat quā eum sequatur, sed remaneat, gaudendo in illa quiete & gratia q̄ illi Dñs facit, & remaneat, vti remanet collectum

ex2-

examen apum, quia si nulla illarum aliueum intraret, & vna post aliam exiret, nulla tandem remaneret, & sic male operaretur mel, ita anima multum perdet, si in hoc particulariter consideratè non remanet, quando intellectus est excitatus & incipit ordinare praxim, & in minimo temporis spacio rationes quærere. Et si illæ sint dictæ benè, putat ratio quod aliquid facere possit, quia hoc solum hic considerandum est, vt clarè cognoscat nullam esse aliam rationem ob quam Deus eiusmodi fauorem facere debeat, nisi suam bonitatem, vtque videamus in quantum Deo sumus vicini, & à sua Maiestate gratiam petere, eamq; pro ecclesia sancta rogare, nec non pro illis, qui sese nostris commendant orationibus, pro animabus in purgatorio existentibus, non cum verborum strepitu, sed desideriorum sensu, vt audiatur. Hæc oratio multa comprehendit, & plus acquiritur, quam si per intellectum operaretur, cum voluntas ipsa sit per rationes alias excitata, quæ ab ipsa ratione representantur: vt videatur effecta melior ad renouandum istum amorem, faciatque tunc aliquos amoris actus, dicendo. Quid faciet pro illo, cui tantum debet? sine eo quod recipiat & quærat aliquam intellectus molestiam, vt dixi. Magis hic ad propositum faciunt minuta stramina cum humilitate apposita, & magis adiuuant, vt accendantur, quam si multa ligna simul iuncta & ligata apponenterentur, quæ meo quidem iudicio sunt doctæ rationes, quæ potius

K

breui

breui temporis spacio extinguent , dico quod adhuc minus quam stramina erunt, si nos ipsi ea apposuerimus. Et hoc admodum est utile pro doctis, qui mihi mandant, ut scribam , quo per Dei bonitatem in hoc omnes conueniant, & facilimè fieri potest; ut tempus in applicādo scripturas consumant, licet tamen etiam ipsis literæ proderunt & nunc & postea, nihilominus meo quidem iudicio in omnibus actibus orationis, non sunt admodum necessariæ, nisi ut voluntatem texidiorem reddant, quia tunc intellectus eo quod videat lucem sibi vicinam cum maxima remanet claritate, eo quidem modo , ut ego, quæ sum illa, quæ eram, videar facta alia, & sic est, quia aliquando mihi accidit, quod nihil intellecterim eorum, quæ ordinariè legebam , maxime Psalmos, sed neque quid in vulgari lingua significare vellēt percipere poteram. Remaneat itaq; anima tempore illo quietis, in sua quiete. Non id dico si alioqui concionari aut docere debent, quia tunc bonum est, ut doctrina & eruditione præualeant, ut alij instruantur , qui parum sciunt, ut ego, cum charitas sit quid magnum , qua pro amore Dei alios iuuant , quo Deum purè ament , sed in quietis oratione remaneat anima in sua quiete & literæ ab altera parte , veniet tempus quando pro honore Dei iuuabunt, illasque in precio habeant, ita quod neque pro maximo quidem thesauro illas quin quæ suissent, relinquere voluissent, idque solum ad inseruendum suæ diuinæ Maiestati, cum mul-

multum iuuent. Sed in conspectu diuinę sapientię plus valet paruum humilitatis studium eiusque actus quam tota sapientia humana. Hic argumentatio locum non habet, cum non sit res periculosa, sed cognoscere per puram simplicitatem id quod sumus, & sese coram Deo presentare, qui desiderat, ut anima stulta deueniat ut verè est in conspectu suæ diuinæ Maiestatis, humiliando sese in tātum, ut patiatur ipsam coram se, cum simus, qui sumus. Intellectus etiam mouetur, ut agat gratias concinnè, sed voluntas cum quiete non audens sicut publicanus oculos eleuare, & hoc modo maiorem facit gratiarum actionem, quam intellectus vñquam per Rethoricam operando facere poterit. In summa, hic mentalis oratio totaliter dimitti non debet, neque verba aliqua etiam vocalia, si poterit aut velit, quia si quies fuerit magna, vix sine pœna loqui poterit. Sentitur meo quidem iudicio si sit spiritus Dei, vel à nobis procuratus per principium deuotionis, quem dat Deus, & voluerimus nos sicut dixi transire ad istam quietem voluntatis, & tunc nullum operatur effectum, & citò finitur, & ariditatem relinquit, & si dæmonium est, videtur mihi, quod anima exercitata cognoscet, quia inquietudinē relinquit: & paruam humilitatem, nec non paruam præparationem, ut ill'os operetur effectus quos Deus operari solet. Non relinquit lucem in intellectu, neque in veritate firmitatem. Potest hic parum facere damni, vel nullum si dirigit ani-

ma delectamentum & suavitatem , quam tunc  
sentit in Deum,in ipso suas cogitationes , & de-  
sideria ponendo. Et hoc modo non potest Dæ-  
monium aliquid lucrari, imo permittet Deus, vt  
eodem delectamento cuius in anima Dæmoni-  
um est causa, multum perdat, cum fiat vt anima  
adiuuetur,cogitando quod sit Deus , eueniet vt  
Deum cum ipsius desiderio oret : & si anima  
fuerit humilis, & non curiosa, non sæpius Dæ-  
monium reuertetur,cognoscendo quod perdat.  
Magnum est fundamētum , vt liberari possimus  
ab astutia Dæmonis & gustu quem ipse tribuit,  
si incipimus deliberatè portare crucem Christi,  
vt ipsum per eandem viam,quam ipse nobis de-  
monstrauit, sequamur, dicendo. Qui vult ve-  
nire post me abneget se met ipsum & sequatur  
me. Ipse dedit nobis exemplum & de nullo sibi  
timeat, si solum ipsius sequitur consilium,vt illi  
satisfaciat,& ex utilitate quam in se ipsis sentiēt,  
clarè cognoscent,quod non sicut Dæmoniū. Quia  
quantumlibet denuo ceciderint , remanebit  
nihilominus aliquod signum , quod ibi fuerit  
Dominus , quod est vt statim ex peccato resur-  
gat, vna cum aliis signis de quibus modo dicam.  
Quando est Dei spiritus, non est necesse , vt ali-  
qua humilitatis indicia quærat , nec non sui ip-  
sius confusionis , quia Deus illam sibi tribuit,  
longè aliam, quæ nos nostris considerationi-  
bus acquirere possumus, quæ nulla est in com-  
paratione veræ humilitatis , cum quadam luce  
quam nos Dominus docet , & talem in nobis  
gene-

generat confusionem, vt anima consumi videatur. Notissimum est, quod quanto maior & clarior est sui ipsius notitia quam Dominus tribuit, tanto magis & melius cognoscimus qualiter nihil à nobis habemus, & tantò magis quanto maiora sunt bona. Ponit præterea in nobis Dominus desiderium ardentissimum in oratione procedendi, & illam non derelinquendi ob quamcunque causam siue molestiam, quātumcunque grauissimam, quæ succedere posset, & ad omnia se paratam offert. Habet præterea talem securitatem cum humilitate & timore salutis, vt statim expellat timorem seruilem, & filialem ponit maiori, cum incremento, præterea animaduertit, quod Dei amor in seipso crescit, solitudinemque quærit, vt diutius de tanto bono gaudeat. Ultimò ne longior sim, est principium omnis boni, cum flores sunt in tali statu & non aliud deest quam vt germinent.

## C A P. X V I.

*In quo tractatur de tertio orationis gradu & altissima quedam tractat, quidque anima possit, quando eousque peruenire potest: & quales sint eius effectus, quos eiusmodi gratiae efficiunt. Sunt multum ad propositum, ut spiritus eleuetur ad laudandum Deum, & est pro consolatione eorum, qui hucusque peruenient.*

K 3 Loqua-

**L**OQVAMVR modò de tertia aqua qua hortus irrigatur, quæ est ex flumine, vel fonte fluens, qua minori cum labore imo sine aliquo adaquatur, cum permittitur, vt aqua fluat, vult Dominus in hoc gradu adiuuare hortulanum, eo modo vt ipse Dominus sit quasi hortulanus, vt qui omnia facit, & est sumnus potentiarum, quæ omnino perduntur, nec intelligunt quomodo operantur suauitas illa & gustus, nec non delectamētum istius orationis sine aliqua comparatione maius est, quam præcedentis secundi gradus, tribuit enim Dominus donorum & gratiarum aquam vsque ad animæ summitatem, ita quod vltierius progredi non possit, nec scit quomodo, sed neque retrogredi potest, velletque semper de tanta gloria gaudere, & est sicuti qui cadelam in manu habet, cui parum deest, vt moriatur, morte dico admodum desiderata & grata, gaudet in illa agonia, maiori cum delectamento quam dici possit. Videtur mihi aliud nihil esse, quam totaliter rebus mundanis mori, & in Domino gaudere. Alios terminos quo id declarrem, inuenire non possum, tunc anima nescit quid dicere debeat aut facere, loqui vel tacere, ridere vel lacrymari. Est gloriosum delirium, & stultitia cœlestis in qua vera apprehenditur sapientia, & est delectissimus gaudendi modus, quo anima gaudet, & sic est, postquam iam quinque vel sex sint anni quod Dominus mihi hunc orationis modum in magna abundantia dederit, idque saepius, nec ego intelligebam neque

neque dicere poteram, & ita quantum ad me iudicabam, & eò perueniens parum, vel quasi nihil loqui poteram. Satis cognoscebam quod tota aliter omnium potentiarum vnius non esset, & clarissimum est quod tu eris eminentior quam præcedens. Sed ut verum dicam non potui discernere qualis fuerit ista differentia. Sed credo quod per humilitatem tuam de mea simplicitate magna, tua Reuerentia præualere poterit.

Hanc orationem hodie statim post communionem mihi Dominus præstare voluit, & ultius procedere non potui: & in mea mente hanc constituit comparisonem, modumque dicendi me docuit, nec non & illud quod hic anima facere debeat, de quo verè remāsi stupefacta, idq; in momento unico intellexi. Sæpius me inueni quasi extra meipsā essem, & ex isto amore ebriam, nec inquam scire potui quomodo illud esset. Sciuī quod Deus esset, sed comprehendere non potui quomodo ibi operaretur, quia in facti & veritatis substantia, tunc omnes potentiae remanent quasi unitæ, sed non in tantum repletæ quin operentur. Magnam concepi lætitiam cum tūc illud intelligerem. Benedictus sit Deus, qui tantum mihi præstítit fauorem, videtur mihi quod tunc omnes potentie tantum sint habiles, ut in Deo occupentur. Videtur quod cum non audeant aliquem facere motum, neque nos efficere possumus ut faciant, etiamsi multo studio summaque diligentia velimus, ut diuertantur. Dicuntur hic aliqua verba nec non Dei

laudes sine discursu, si alioqui Dominus ipse nō facit, vt discurratur. Ad minus discursus ipsius intellectus hic nihil valet. Vellat anima emittere voces Deum laudando, & est in tali statu, quem in seipsa non capit, sentitque inquietudinem delectabilem. Tunc flores aperiuntur, & odorem emittere incipiunt. Hic optaret anima ab omnibus videri, vt eius conspicerent gloriā, vt Deum exinde laudarent: adiuuarentque in ipsum benedicendo, partemque gaudij libenter illis præstaret, cùm illa sola non sufficiat, quo tanto fruatur bono.

Videtur illi interuenire idem de quo legitur in Euangeliō, vbi quædam vocabat vicinas, vt secum ob dragmam inuentam congauderent. Id idem videbatur sentire spiritus Prophetæ Dauid quando sonabat & in cithara Dei laudes decantabat, cui Prophetæ multum sum deuota, cuperemq;, vt omnes nos peccatores eidem essemus deuotissimi. O Domine mi, quomodo se tunc habet anima? optaret se in linguas commutari posse, vt te eo magis laudare possit.

Multa tum profert quæ stulta apparent verumtamen sancta; sibi persuadendo, quod illi hoc modo satisfaciat, qui eam ita detinet. Quædam noui, quæ cum Poëta non esset, breui temporis spacio versus composuit suis constantes pedibus, magno affectu plenos, in quibus admodum bene pœnam suam declarabat; nec erat facti versus per eius intellectum, tantum modo vt magis gloriam illam degustaret, quam pœna delecta-

dele&tabilis requirebat , de qua cum solo Deo  
conquerebatur. Optaret præterea vt corpus suū  
totum & anima diuiderentur , quo manifestare  
posset gustum quem sentit. Et quæ pœna tunc  
sibi proponi possit, quæ non suavis & dulcis pro  
Domino suo patiendo videretur? Manifestum  
hinc fit quod martyres ab eorum parte quasi ni-  
hil fecerint , scientes optimè aliunde talem re-  
cepisse constantiam & animi fortitudinem. Sed  
quid sentiet quando denuo redit , vt in mundo  
viuat? Et præcedentia sentire desideria? Bene-  
dictus sis tu ô Domine Deus, cuncta in eternum  
laudent nomen tuum. Fac tu ô Domine dum  
hæc scribo ne mūdana amplius estimem, vel me  
ex hac vita libera. Non potest sine te famula tua  
tot sustinere molestias, verum si viuere diutius  
debeo , in hac vita requiem non peto , nisi eam  
tu mihi dederis. Oportet hæc anima liberari,  
nam manducare illam , occidit , dormire illam  
molestat , vide quomodo tempus transigitur cū  
nihil quod extra te est illam consolari possit. O  
Domine Deus, gloria mea, quam delicatam cru-  
cem, verum grauem illis preparasti, qui ad hunc  
perueniunt statum. Delicatam dico, quia suavis  
est: grauis, quia quandoque casus contingunt,  
in quibus patientia nostra inferior est , quam vt  
eos sustineamus; sed neque anima ab illis libe-  
rari vellet , nisi vt seipsam apud te inueniat.  
Quando verò considerat quod tibi non inferui-  
uit quodq; diutius viuendo inferuire tuæ Maie-  
stati diuinæ posset, grauius onus sustinere vellet,

K 5

nec .

nec non in fine mundi mori. Quietem nō æstimat , nec desiderat , quò melius tibi inseruire queat. Non scit quid desiderare debeat, attamen bene cognoscit, quod non aliud quam te velit. Qui es benedictus in sæcula Amen.

## C A P. XVII.

*In quo præsequitur præcedentē materiam tertij orationis gradus , & finem imponit declarando effectus quos facit , referendo damnū quod memoria & imaginatio cansant.*

**R**ationabiliter iam de tertio orationis gradu diximus, nec non de eo quod anima facere debet, vel ut melius dicam, de eo quod in illa operatur Deus, postea quam accipit hortulanī officium ; & vult, ut anima quiescat & gaudeat, sola verò voluntas in illis gratiis consentit, in quibus gaudet, & se paratam offerre debet, ad oīa illa, quę in ipsa diuina vult operari sapientia, & ideo necesse est, ut habeat animum magnanimum & constantem, quia tantum est gaudium ut quandoq, unus videatur desiderari punctus, ut anima per mortē à corpore separetur. O quā optabilis eiusmodi mors esset. Hic mihi ad propositum videtur quod alias dixi, ut nos metipsos totaliter Deo commendemus. Si enim sua Maiestas nos velit ad cœlum conducere, fiat, si ad infernum, non sentiet pœnam, modo sit cum summo bono. Si vult ut moriar, si vult ut mille annis viuam, similiter faciat, ut de suo proprio anima

anima non est amplius sui ipsius in hoc statu: sed totaliter Deo dicata omnium obliuiscitur. Dico igitur quod anima in tam sublimi orationis gradu, vt hic est, ( posteaquam quando Dominus illi concedit omne id facere potest & etiam plura, cum eius sint effectus ) cognoscit id quod facit sine aliqua intellectus defatigatione, solum remanet meo iudicio, vt stupefactus, cum videt qualiter tam bene Dominus faciat officium hortulanum, & non velit ut aliquis defatigetur, sed tantum, vt delectetur, videndo quomodo flores incipiunt odorem emittere, cum sit quod ipse hortulanus, qui est aquarum creator illam fine mensura donat, licet parum duret, & istud quod anima, intellectum defatigando, forsitan in viginti annis assequi non potuit, hoc cœlestis ille hortulanus facit in unico temporis momento: fructumque facit crescere & maturescere, ita ut cum suo horto conseruari possit: cum Dominus ita velit: sed licentiam illi non tribuit ut fructus aliis distribuat, quo usque illa sit satis robusta facta ex eo quod manducauit, ne gustando, ab aliis omnes fructus consumantur, sed tum demum alijs det partem pro utilitate ipsius met Domini, soluendo illi locationem horti, quia si tantum non habuerit, quod pro se & alijs sufficit, illa fame morietur non manducando quod ipsa manducare debuerat. Hoc bene intellectum, erit pro illis, qui scient illud applicare melius, quā ego noui explicare, sine eo quod me debeam defatigare. In summa, in hoc orationis

tionis statu virtutes sunt fortiores, quām sunt in statu quietis de quo ante, & anima cognoscit, quod sit alia, & nescit quomodo. Magna incipit ex odore quem flores emittunt operari, & vult Dominus, ut aperiantur, utque cognoscat quas habeant virtutes, licet optimè cognoscat quod in multis annis eas acquirere non potuerit quas ipsi hortulanus in breui temporis spacio donauit. Hic maior & profundior est humilitas, quām in præcedenti orationis gradu, clarius enim videt, quod ex se ne parum quidem nec multum laborauerit, nisi in consentiendo ut Dominus illi faueat gratiamque præstet, illam per voluntatem amplectendo. Videtur hic orationis modus certa quædam & admodum clara totius animæ cū Deo vnio, & aliud non videtur quā quod sua Maiestas velit potentijs dare licentiam, ut intelligent & gaudeant ex rebus illis eximijs quas ibidem operatur. Sæpius accidit, ut manendo voluntas unita cognoscat & intelligat, quod ligata manet, & cognoscendo gaudet, videat sua Reuerentia si ita esse possit & intelligat quando illi occurret, me certè ut stultam reddidit, & ideo id in hoc loco refero. Dico quod sola voluntas est in magna quiete, & ab altera parte intellectus & memoria admodum manet libera; ut etiam negotia tractare possint, nec non ad opera charitatis attendere. Hoc licet videatur idem, nihilominus admodum est diuersum à quietis oratione, de qua superius dixi, quia ibi remanet anima eo modo, ut se mouere

uerere nolle, sed neque manducare, gaudendo in illo ocio Sanctæ Mariæ, sed in tertio illo orationis gradu potest etiam esse sicut Martha, ita ut vno eodemque tempore operando maneat vita actiua & contemplatiua, & potest ad charitatis opera attendere, & ad aliqua negotia suo statui conuenientia, nec non legere, licet in toto tales animæ de seipsis non præualeant, sed bene intelligunt quod melior animæ pars in alio remaneat loco, & hoc sicuti si quis cū vno loqueretur, & ab altera parte alia loqueretur persona, & sic totaliter non remanebimus, cum vna neque cum altera, est res que clarissimè sentitur, & magnum præbet satisfactionem quando habetur, estque magna præparatio, si enim solitudinis haberet tempus, vel sine occupationibus esset, magnam acquireret anima quietem.

Est alijs vnionis modus, qui omnimode non est vnio, est tamen altera maior, de qua in secundo gradu dixi, sed non tanta ut hæc tertia. Gustabit eam T. Reuerentia, si alioqui modo illam non habet, & tunc intelliget qualis sit, quia alia est gratia quam Dominus concedit, & aliud est scire & intelligere quales sint eiusmodi gratiae & fauores; & aliud est scire, dicere, & explicare, ut ab alijs intelligatur quales sunt: & est magnæ utilitatis intelligere, est enim talis gratia, ut quilibet, qui illam habet & possidet multum laudet Dominum, & similiter qui non habet, quia aliquibus illam tribuit Deus, vt nos adiuuent, solet sapientius euenire iste modus vnionis de qua dicere

cere volo, particuraliter mihi, cui Dominus eiusmodi fauorem saepius concedit, voluntatem colligendo, similiter intellectum, quia non discurrit meo quidē iudicio, sed manet occupatus ut in Deo gaudeat: sicuti qui admiratur, & videt, ita ut nō sciat quā longē videat, & unus pro alio visum perdit, sic ut nullius rei dare signum possit, memoria enim quae rationem repræsentat remanet ociosa una cum imaginatione, quia illa sola videtur, & est talis, ut inde Deus laudari debet. Pugna vero quam causat, omnia perturbare nititur, & mihi talem præbuit defatigationem, ut ab illa abhorruerim, & saepius Dominum rogaui, ut me ab eiusmodi perturbatione liberare dignaretur, & saepius dico: Quando o Domine anima mea in laudando tuam Majestatem erit unita, & non ita in partes distracta, ut de se ipsa præualere non possit? Video hic unde peccatum causatur, ex quo ita subiicitur, ut non possimus facere, quod volumus stando in Deo occupata, dico mihi saepius euenisce, & hodie talem pugnam senti, ex qua videtur anima consumi, cum videatur ibi unita, ubi eius maior pars remanet, & cum sit impossibile quin memoria & imaginatio pugnam moueant, ita ut non permittant illam præualere, & quando alię potentiae deficiunt, nihil valent etiam in faciendo malū, satisfaciunt ad perturbandum: Dico (ad faciendum malum) quia potentiam non habent, neq; in uno esse permanent, & intellectus non minus nec magis iuuat illud quod istae repræsen-

præsentant, nec se firmat in aliquo, sed discurrit ex vno ad aliud, non secus atque lumen noctis erratile, importunum & inquietum, sic ab vno capite ad aliud deflectit. Hæc comparatio mihi ad propositum videtur, quia licet non habeat vim aliquam vt aliquod inferat malū, est tamen illis importunum qui illud vident, & nescio quale remedium adhiberi possit, quia haec tenus nullum mihi Dominus manifestauit, illud enim libenter pro me haberem ex quo sæpius exinde molestor. Repræsentatur nostra hic miseria, cum multum inferat damni, si remanet defatigando libera: verum Dei interim manifestatur potentia, dum aliae duæ, cum sua remanent Maiestate summam recipiendo quietem. Ultimò, remedium quod inueni est istud, vt de ipsamemoria non curetur, sed suo modo relinquatur, cum solus sit Dei remedium adhibere, & tunc subiecta remanet. Illam cum patientia sustinere debemus sicuti Iacobellam, quia Dominus illi satis fauet, si illam cum Rachaele gaudere permittit. Remanet dicto subiecta quia alias potentias ad se pertrahere non potest, faciat quidquid velit; imò sine aliqua defatigatione illa se alijs tandem potentij subiicit. Aliquoties compatitur Dominus videndo memoriam inquietam & afflictam, cum desiderio cum alijs manendi, & tunc sua Maiestas consentit, vt illa in diuiniluminis igne comburatur, vbi aliæ in pulueres sunt redactæ; & suū naturale esse perdiderunt, quando de tanto supernaturali bono gaudent.

gaudent. In omnibus huius aquæ ex fonte modis de qua dixi, tanta est animæ quies & gloria, ut etiam corpus tanti gaudij, & delectamenti fiat particeps, & eius virtutes ( vti clarissimè videtur ) radicatæ & optimæ fundatæ remanent. Ultimò mihi videtur quod Dominus ipse hosce animæ status declarare voluerit vt intelligar. Tu interim Reuerende Pater hæc tracta cum personis doctis & spiritualibus, quæ hucusque peruererunt; si dixerint bona esse, tibi persuadeas à Deo tibi dicta esse, & in precio habeas, & suæ Maiestati obligatus remanebis; quia suo tempore intelligēdo quid sit plurimum gaudebis. Interim sit Dominus benedictus per infinita sœcula, Amen.

## C A P. XVIII.

*In quo tractatur de quarto orationis gradu, & declarare incipit excellentem dignitatem, quā Dominus in anima ponit, quando est in hoc statu. Potest multum confortare illos, qui de oratione tractant, & student ad eiusmodi statum peruenire, posteaquam in hac vita haberipotest, licet non ex merito sed solum ex bonitate diuina. Debet legi cum multa consideratione & attentione.*

**D**OCE me Domine & da mihi verba, quibus aliquid modo de quarta aqua dicere possim. Dei fauor & gratia hic magis est necessaria

saria quam in præcedenti orationis gradu, sentit enim anima quod totaliter mortua non sit, vt ita dicam, licet mundo non vivat. Sentit se in mundo esse & patitur, quod sit sola, vt quantum ad exteriora aliquid valet; vt cognoscere alijs faciat quod sentit, licet per signa. In tota oratione, & in eius orationis modo, parum defatigationis habet hortulanus, & quantumuis defatigatio in his vltimis aquis sit semper cum tanta gloria animæ eiusdemque consolatione coniuncta, vt nunquam ab ea liberari vellet, eam enim defatigationem non pro molestia habet, sed pro gloria infinita. Hic nō est sensus, sed solū gustat, sine eo quod intelligit de quo gaudet, cognoscit quod fruitur bono cui omnia bona coniunguntur, sed ipsum bonum non comprehendit. Occupantur omnes sensus in hoc gusto, ita quod nullus remaneat quin occupetur, eo modo ut neque interius neque exterius in alio occupari possint.

Primo dabatur eis licentia vt facerent aliquā demonstrationem istius magni gustus quem sentiunt. Hic multo magis anima gustat idque sine comparatione, & multò minus gustus declarari possunt, cum in corpore non remaneat fortitudo, nec anima habet quo illum gustum eo tempore communicare possit, quia alioqui patetur, disturbaret & à sua quiete abstraheretur. Et dico, si est vnio omnium potentiarum, etiam si tunc vellet interim dum est in illa vnione, non posset, & si posset, non erit amplius vnio. Nunc

L

verò

verò quid sit quod voco vnionē, & quid sit illa, nescio ego quomodo declarare possum, vt intellegar, in mystica Theologia declaratur & ego nescirem inuenire vocabula, nec scio intelligere quid sit mens, nec quæ sit differentia inter illam & animam vel spiritum. Videntur mihi eadem, licet anima quandoq; extra se exeat in modum ignis qui ardet & factus est flamma, & quādoque iste ignis cum impetu quodam crescit, flamma verò supra ignem multum ascendit, sed per hoc non est res differens, sed est ipsa eadem flamma quæ est in igne. Hoc intelligent docti, ego aliter istud dicere non possum. Quod verò ego declarare desidero est, quid sentiat anima quando est in ista diuina vnione. Vnio nihil aliud est quam ex duabus rebus diuisis facere vnam.

O quam bonus es Domine, sis in æternum benedictus, laudent tuam maiestatem omnes, cum in tantum tu nos amaueris, ita quod cum veritate de ista communicatione loqui possumus, quam etiam in hoc nostro exilio, cum animalibus habes. Magna est sane tua liberalitas & magnificentia, o Domine qui das sicuti es. O infinita magnificentia, quam magna & benigna sunt opera tua Domine. Stupescunt qui intellectum tantopere in rebus terrenis occupatum tenent, quia non capiunt nec veritatem intelligunt. Sed quod animæ o Domine eiusmodi facias gratiam singularem & sublimem, quæ toties offendit, hoc certè meum confundit intellectum.

tellectum, & quando istud cogito vltius pro-  
gredi non possum.

Nunc vero quo ibit anima, quæ non retro-  
greditur? Postquam non sciat quomodo gratias  
agere debeat pro eiusmodi singulari fauore? ego  
dum dicam quædam quæ forsitan stulta viden-  
tur, mihi quandoque sunt pro remedio. Accidit  
sæpius, quando tales gratiæ finiuntur, vel quan-  
do Deus illas mihi concedere incipit, (quia ma-  
nendo in illis impossibile est, (vt dixi,) aliquid  
facere, vt sic dicam, ô Domine vide quid facias,  
& non tam statim mea grauia peccata in obli-  
uionem ducas, nihilominus licet remittas &  
deleas & eorum non sis memor amplius, atta-  
men vt terminum aliquem gratijs ponas suppli-  
co vt eorum adhuc sis memor. O Domine crea-  
tor meus noli tam preciosum liquorem repone-  
re in vasculo sic corrupto, maximè cum videris  
me aliquoties illum liquorem pretiosum offen-  
disse. Non reponas similem thesaurum ibi, vbi  
adhuc non est, vt esse deberet sublata tota huius  
vitæ concupiscentia & consolatio, quia expen-  
dendo male consumetur. Quare committis hu-  
ius ciuitatis castrum, & ciuitatis claves Capita-  
neo, viliori qui ad primum inimicorum con-  
gressum illam inimicis tradet? & ingredi per-  
mittet? Non sit ita excessiuus tuus in me amor  
ô Rex æterne Deus, vt eiusmodi res preciosas  
& thesaurum inæstimabilem in discrimine po-  
nas. Videtur mihi ô Domine quod detur occa-  
sio vt parum æstimetur, eo quod illum commit-

L 2

tis in

tis in manibus tam iniquæ , debilis & miserabilis personæ prout ego sum ; quæ tam parum illum æstimo . Videtur quod non tantum talenta abscondantur , sed potius in terra reponantur , in terra dico infelicissima . Non soles ô Domine Deus concedere gratiam tuam , nisi , ut per eadem etiam & alij iuuentur . Iam scis ô Domine , quod ex toto cordis mei affectu supplico , & haec tenus supplicaui , & quod contenta sim illud maius bonum quod in terra possidetur perdere , ut facias illis hanc gratiam , qui plus iuuare possunt , quam ego , quo magis crescat ad tuam ipsius gloriam . Hæc & similia multa saepius rogaui & dixi , sed postea meam insipientiam & parvam cognoui humilitatem ; quia bene nouit Dominus quid conueniat , & quod in animæ meæ potestate non fuerit : quo saluari potuisset , si sua Maiestas per suam gratiam id mihi non concessisset .

Iam referam gratias & effectus , qui in anima remanent , & quid ex seipsa facere possit , vel si illa est pars in perueniendo ad talem statum . Prouenit illa spiritus eleuatio vel coniunctio cum amore cœlesti , cum meo quidem iudicio , sit differentia inter vñionem & eleuationem ad ipsam vñionem , & qui vltimam non est expertus illi videtur , quod sint diuersæ , sed meo quidem iudicio ( cum sint quid vnum ) operatur Deus diuersimode , & in augmento separationis à creaturis , multo verò magis in eleuatione siue volatu spiritus , & ego clare vidi quod sit gratia parti-

particularis, licet ut dixi sint vnum vel ad minus  
videtur. Nam ignis paruus est nihilominus ig-  
nis sicuti & magnus, & sic videtur differentia  
inter utrumque. In igne paruo ubi paruum fer-  
rum ignitur, multum temporis insumitur; sed si  
ignis est magnus licet ferrum sit maius, breui  
temporis spacio suam videtur perdere essen-  
tiam. Duo isti modi gratiarum similes mihi vi-  
dentur & scio quod qui ad raptum peruenit me  
intelliget; sed si non est expertus videbitur esse  
**extra propositum**, & potest bene ita esse ut sit, nam  
volens mihi loqui de hac re quædam persona, ut  
illi huius rei partem significarem, impossibile  
videbatur, inuenire verba quibus id explicare  
debebam; & ideo non mirum si quis de hac re  
loquendo extra propositum aliquid dicat. Sed  
spero quod Dominus me hac in parte iuuabit,  
cum sciat sua Maiestas diuina, me id ex obedi-  
entia facere, nec non cum mea intentio sit ali-  
quos prouocare, ut amore diuino circa hoc bo-  
num capiantur. Non dicam nisi quod saepius  
sum experta, & sic est, quod quando de hac vlti-  
ma aqua scribere incœpi, tantum mihi possibile  
videbatur, de ea aliquid dicere me posse, quam  
Græcè loqui, & ideo scribendi finem feci, & iui  
ad communionem. Benedictus sit Dominus qui  
paruulis & ignorantibus ita fauet. O Magna  
obedientiæ virtus, quæ in omnibus plurimum  
valet. Deus intellectum meum illuminauit, &  
aliquoties verbis, & quandoq; dicendi modum  
mihi proponendo. Id quod dico verum est, &

L 3

ideo

ideo quod bonum erit, sua est doctrina, sed malum quod erit ex pelago totius mali, qui sum ego, prouenit. Et sic dico, quod si aliqui essent qui ad orationem peruerterunt, sicuti in hoc Dominus mihi tam miserabili personæ gratiam præsttit, quales multæ inueniuntur ut credo, & cuperent de hisce rebus mecum tractare, sibi persuadentes se male instructas, confido quod Dominus hanc famulam abiectam adiuuaret, quò cum veritate vterius procedere posset. Nunc itaque loquendo de hac aqua, quæ de cœlo descendit qua sua abundantia totus hortus irrigatur & impletur, dico si Dominus nunquam desisteret quin illam daret quando necesse est, exinde appareret, quam parum laboris hortulanus insumere deberet, & si nunquā esset hyems, sed semper tempus temperatum, floresque nascerentur & fructus magna ipsi in hoc esset consolatio. Sed dum in hac præsenti sumus vita, id est impossibile, imo semper conuenit, ut deficiendo una aqua de alia solliciti simus. Quandoq; cœlestis illa aqua venit, quando minimè de illa hortulanus cogitat. Verum quidem est quod à principio quali semper post longam orationem mentalem hæc aqua descendat, & veniendo Dominus ex uno gradu ad aliud, hanc apprehendit auiculam, eandemque in nido reponit ut quiescat. Postea verò ubi eandem per aliquod temporis spacium volantem animaduertit, per intellectum procurando & voluntatem, omnibus suis viribus, ut Deum inueniat, eumque sibi placet.

placabilem reddat ; tunc etiam in hac vita præmium donare vult ita eximum & excellens, vt si per vnicum tantummodo momentum illud habet, omnes eius defatigations abundè remuneratæ existant. Insistendo itaque anima in Deum quærendo , maximum suauissimumque sentit delectamentum , ita vt per modum deliquij videatur deficere & respiratio incipit cessare, nec non vires corporales : ita quod non sine pœna manibus vt possit , oculi etiam si ipsa non velit clauduntur , si aperti manent , nihil quasi videt, si legit ne literam quidem proferre potest , aut cognoscere bene videt quod litera sit, sed cum intellectus non adiuvat legere nescit etiam si velit, sed neque quæ audit intelligit ; ita quod sensus corporales tunc parum valeant, nisi in quantū totaliter non derelinquuntur: quin remaneat in eorum complacentia , & sic potius sunt ad damnum. Loqui est extra propositum, quia tunc eo non pertingunt , vt verba formare possint; sed neque remanet aliqua vis ea profendi , exterior enim virtus perditur , & animæ virtus augetur & crescit, vt eo melius gloria illa frui possit. Delectamentum quod exteriorus sentitur magnum est & admodum manifestum. Hęc oratio sit longa vt velit damnum non facit; mihi ad minus nullum fecit vñquam quod recordor, quia Dominus dando mihi hanc gratiam etiam fauorem tribuit, imo licet quandoque male disposita fuerim & infirma prius, postea melius valui. Sed quid mali tam excellens bonum adferre

L 4 posset?

posset? Exteriores operationes ita sunt notæ, ut  
dubitari non possit quin occasiones fuerint ma-  
gnæ: posteaquā sic tanto cum delectamento oës  
vires exteriores abstulerit, vt maiores relinque-  
ret. Et hoc nota, quod, cum omnes potentia<sup>q</sup> sunt  
suspensiæ, secundum meum iudicium, non diu-  
nius durat, quam per medianam horam, & adhuc  
minus.

Mihi videtur quod adhuc tanto tempore  
non fuerim, sed nō admodum bene sciri potest,  
quam diu durat, quia non sentitur, & dico quod  
breue sit tempus in quo aliqua potentia in se nō  
redeant. Voluntas est illa quæ telam tenet, sed  
aliæ potentia<sup>q</sup> cit<sup>e</sup> redeunt, vt per discursum sint  
importunæ. Sed quādo voluntas postea remanet  
quieta, iterum aliæ potentia<sup>q</sup> suspenduntur: &  
sic per aliquod temporis spaciū reuiuiscent.  
In hoc orationis statu aliquot horæ insumi pos-  
sunt, quia posteaquam, aliæ duæ potentia<sup>q</sup> sese  
inebriari cœperunt illudque vinum cœlestē gu-  
stare, tunc facilius seipſas perdunt, vt eò melius  
voluntati inseruant, vtque omnes simul gau-  
deant. Sed quando tres simul se perdunt & re-  
manent sine aliqua imaginatione, quæ etiam  
meo quidem iudicio perditur, dico quod breue  
sit illud tempus, licet non adhuc in toto ad se  
redeant, quin per aliquot horas remaneant at-  
tonitæ & stupefactæ. Tractemus modo de eo q  
anima sentit. Dicat hoc qui nouit, quia intelli-  
gi non potest, ne dicam referri. Remanebam co-  
gitando, quando hoc describere volui postquā  
esse

essem communicata, & in oratione mansissem,  
id quod modo scribo, quid scilicet anima illo  
tempore faceret, & mihi dixit Dominus hæc  
verba. *Ella si diffa, figlia, tutta, per piu porsi in*  
*me, & gianon è essa quella che viue ma io.* Illa  
totaliquescit, ô filia, vt eo melius in me requie-  
scat, & iam non est ipsa, quæ viuit sed ego. Sicut  
non potest comprehendere illud quod intelli-  
git, & non intelligere intelligendo: qui pro-  
basset intelligeret de eo aliquid, quia clarius di-  
cinon potest. Solum dicere possum, quod re-  
presentatur stare cum Deo, & talis remanet cer-  
titudo, vt nullo modo aliter credi possit. Hic  
omnes potentia deficiunt, & ita suspenduntur,  
vt nullo modo cognoscatur, vt dixi, quid ope-  
rantur, si cogitando de aliquare, ita memoria  
perditur quasi nunquam de eare cogitasset: si le-  
git in eo quod legebat, non meminit, neque fi-  
nitur. Ita quod luminis istius noctis erratilis  
ipsius memoriae alæ hic comburantur, eo modo  
vt volare non possit. Voluntas quidem rema-  
net amando, sed non intelligit quomodo amat,  
intellectus intelligit quidem, sed non intelligit  
quomodo, quia sicuti dico, non intelligitur, &  
ego ad id non attingo vt intelligam. Interim ta-  
men est notandum, & intelligendum qualiter  
illa aqua cœlestis, & maximus Dominifauor in-  
gens in anima relinquat lucrum, vt modo di-  
cam.

*In quo continuatur præcedens materia, & incipit declarare effectus, quos anima in hoc orationis gradu producit. Persuadet ne retrogrediatur, et dato quod etiā post hāc orationem caderet, non tamen ideo orationē intermittat, referēdo damna inde subsecutura, & est serio & attente notandum, quia magnam debilib. & peccatorib. præbet cōsolationem.*

**P**ost hanc orationem & vniōnem remanet anima maxima cum teneritudine, ita ut desideret liquefieri, non quidem per pœnam, sed per certas lacrymas gaudio plenas, inuenit se ex illis madefactam, sine eo quod sentiat, vel sciat, quando vel quomodo prouenerint, & magnum præbent animæ delectamentum, cùm videt illum ignis impetum vna cum aqua, quæ efficit ut illud magis crescat. Videbitur forsitan alicui quod arabicè loquor, sed tamen ita est. In fine istius orationis mihi accidit, vt ita omnino fuerim extra me ipsam, vt non sciuerim si vel somnus esset, vel vera gloria quam senseram. Sed videndo me aqua plenam, quæ cum tanto impetu & celeriter sine aliqua pœna profluebat, atque per eam mollificatam, ita quod quædam nubes eam videretur ex cœlo misisse, cognoscebam somnum non fuisse. Hoc mihi accidit in principio, & cum breuitate transibat. Remanet tunc anima tam fortis & magnanima, vt si in

Si in isto momento in partes pro amore Dei con-  
scinderetur summam inde haberet consolatio-  
nem. Hic fiunt promissiones & resolutiones  
heroicæ , est viuacitas desideriorum : mundus  
habetur in abominatione , eiusque vanita-  
tem clarissimè videt, & maior humilitas senti-  
tur, idque maiori cum lucro quam in preceden-  
ti oratione. Clarissimè videt se omnimode in-  
dignam , quia in loco vbi clarissimus sol intrat  
nulla remanet araneæ tela quæ non videatur,  
suam considerat miseriā ; & si longè vana gloria  
abest, quæ videtur haberi non posse, cum videat  
quam parum aut nihil possit, videtur quod qua-  
si ibidem non sit consensus , imò videtur esse  
contra ipsius voluntatem, porta omnibus sensi-  
bus præcluditur, ut eo magis in Domino gloria-  
ri possit. Remanet cum ipso sola , & quid aliud  
facere debet quam illum amare ? & non videt,  
nec audit. Postea verò illi præterita vita repræ-  
sentatur , vna cum Dei infinita misericordia &  
veritate aperta, & non est necesse, ut intellectus  
per venationem defatigetur , habet enim præ-  
paratum quod manducet & intelligat.

Per seipsum videt quod infernum promeretur,  
& quod gloria castigatur: in Dei laudibus liquefit, &  
nunc ego cuperem liquefieri. Benedictus sis tu  
ô Dñe, qui ex piscina admodum turbida sicuti ego  
sum, hauris pro tua mensa aquam clarā & bonā  
sis tu laudatus, qui es Angelorū deliciæ, cū velis  
exaltare vermem ita vilem. Remanet p aliquod  
temporis spaciū illa utilitas in anima , & po-  
test

## 150 VITA MATRIS TERESA,

est clarè intelligere, quod eius fructus sint ita  
abundantes, vt etiam aliis distribui possint; &  
quod illi propterea non deerunt vel deficient.  
**A**nima hic incipit demonstrare, quod cœli the-  
sauros conseruat, & habere desiderium etiam  
alijs distribuendi, & supplicare ne sit sola diues:  
& licet illa non animaduertat, incipit etiam alijs  
prodesse: & nihil ex se facere q[uo]d n[on] alij cognoscāt,  
quia flores incœperunt proficere & suauissimos  
emittere odores, qui efficiunt, vt & alij libenter  
accedant. Cognoscunt ibi virtutes esse, & fru-  
ctus vident desiderabiles, cuperent adiuuare, vt  
manducentur, si hæc terra cum labore, persecu-  
tionibus, murmurationibus & infirmitatibus  
(quia hucusque sine illis pauci peruenient) erit  
molliter præparata, ita aqua absorbetur eamque  
imbibet, vt vix vnquam siccari possit. Si adhuc  
est terra, in terra remanens, spinis plena sicuti  
ego in principio eram, occasiones non vitando,  
non est tantopere grata, vt eiusmodi fauores  
mereatur, denuo terra siccabitur, & si hortula-  
nus illam negligit, & Dominus pluuiam nō mi-  
serit in perditione hortus manebit: sic mihi  
quandoq[ue] accidit, ita vt nunc stupesco, & si mihi  
non contigisset non crederem. Hæc scri-  
bo pro consolatione debilium, ne vnquam de-  
sperent, neque de Dei magnificentia diffidant,  
neque, si, postquam exaltati fuerint, cecide-  
rint animum desponteant, si alioqui perire  
nolint, quia lacrymæ omnia vincūt: & una aqua  
aliam inuitat. Vnum ex omnib[us] quod mihi ani-  
mum

## CAPITVLVM XIX.

152

num præbet in obediendo vt scribam, denique  
vitæ meæ malæ rationem & gratiarum quas mi-  
hi Dominus exhibuit, non ipsi inferuiendo, sed  
offendendo fuit istud, quod desiderauerim tan-  
tam habere authoritatem quo mihi fides adhi-  
beretur.

Rogo suam diuinam Maiestatem, vt eam mi-  
hi concedere dignetur, dico vt non deterrean-  
tur illi, qui sese dare orationi incœperunt, di-  
cendo, si ego incipio denuo peccare, peius est, si  
progredior, me in oratione exercendo: Ego  
quidem id credo, si ita penitus quis orationem  
relinquit, vt se non emendet. Sed crede mihi  
si orationem non relinquit, illa peccatorem ad  
lucis portum conducet. Hic maximam mihi  
Diabolus intulit pugnam, & molestiam non  
paruam passa sum, mihi persuadendo fore hu-  
militati asscribendum non attendere orationi  
cum sim peccatrix, sicuti quando, vt dixi, illam  
dereliqueram per spacium vnius anni & medij,  
adminus per annum, quia de medio anno non  
satis recordor, id quod aliud non fuit, quam me  
ipsam in medio Dæmonum constituere, quate-  
nus me ad infernum ducerent. O Deus, qua-  
lis & quanta est hæc cæcitas, & quam bene Dæ-  
monium studet, vt ad optatum suum intentum  
perueniat. Nouit nequissimus tentator quali-  
ter animam, quæ in oratione perseverat, perdi-  
derit: & quod omnes animæ quæ ceciderunt,  
a Deo adiuuantur, vt postea per Dei bonitatem  
in omnibus, quæ ad Dei cultum pertainent, ope-  
rentur.

rentur. O Domine Iesu, quid quæso est, vide reanimam eò deuenisse, vt cum in peccato cœcavit, & tu ex tua magnificentia manum adiutricem porrigit & subleuas: quomodo tunc tua cognoscitur misericordiæ magnitudo, & propria animæ miseriæ? Hic v. r. languescit, oculos in cœlum leuare non audet, & eleuat, vt quantum debeat cognoscat, hic deuotio crescit, nec non fit anima Reginæ cœlorum deuota, vt Deū placatum reddat. Hic in suum fauorem sanctos inuocat, qui postquam vocati fuerunt etiam ceciderunt, vt eam adiuuent. Hic superfluum illi videtur ô Domine quod præstas, quia videt se non promereri terram quam pedibus calcat. Ad sacramenta & ad viuam recurrit fidem, virtutemque considerat, quam in illis posuit Deus, te laudat quod tales reliqueris medicinam, & vnguentum pro vulneribus nostris, ex quo non tantum exterius sanant, sed omnia totaliter auferunt, & de eo miratur. Et quis ô Domine non admirabitur de tanta tua misericordia, & gratia completa, cum transgressio sit turpis & abominabilis? Nescio quomodo non scindatur & dividatur cor meum interim dum hęc scribo, quia adhuc sum scelesta etiam cum hisce lacrymis viuis, quas hic emitto, quasque mihi tu ipse ô Domine dedisti, video me tuæ maiestati diuine velle satisfacere pro omnibus meis transgressiōnibus male operando, & tuam in me gratiam annihilando, per aquam ex puto animæ meæ profuentem. O Domine ad minus per tuam virtutem.

virtutem fac , vt cum sit turbida fiat limpida & clara, ne faciendo iudicium de tua in me misericordia in aliquam incidam tentationem, dicendo. Quomodo mihi eiusmodi fauores præstas, & non alijs me sanctioribus , qui tibi continuo inferuiunt,inferuendo se defatigant , quæ in religione nutritæ religiosè viuunt , & non solum nomine gaudent, sicuti ego , quibus tamen talem gratiam non concedis: Bene video ô Domine quod illis præseruas premium, vt simul & semel illud tribuas , quodque mea imbecillitas aliqua eius modò indigeat parte. Illi tibi vt strenui malites sine aliqua facta conuentione , aut promissione fideliter inferuiunt , eosq; tractas, vti fortes & robusti tractari solent, cum terrenis rebus minime sint intricati : Nihilominus meministi ô Domine quod sæpe sæpius exclamando illos qui contra me murmurabant coram tua Maiestate excusauerim , cum viderentur te ratione superare. Hoc factum fuit quando me ex singulari tua bonitate custodiuisti ne in tantum te offenderem, & ego tunc. incipi me ipsam liberare ab omnibus in quib<sup>z</sup> videbar tibi discere. Quo facto thesaurum tuum mihi ô Domine aperuisti , & videtur quod non nisi talem in me expectaueris dispositionem & voluntatem, quo preciosum eiusmodi thesaurum acceptarem, vt que etiam id alios minimè lateret, unde bonam de me opinionem conceperunt , meā malitiam ignorantes, quamuis illa satis appareret, ex quo subsecuta fuit murmuratio & perse- cutio,

cutio, idque meo quidem iudicio, non sine ratione, non tamen exinde aliquod concœpi odium, tuam enim Maiestatem rogabam, ut ad eorum attenderes rationes. De me spargebant, quod noua quædam machinari voluerim, quod pro sancta existimarer, cum tamen neque regulam perfectè obseruarem, aut ad aliarum monialium perfectionem peruenissem, ad quam neque me peruenturam mihi persuadeo, nisi tua in me bonitas infinita præstiterit, malos enim mores introducere potius conabar, quam bonos, qui ne introducerentur impedire nitebar, vnde non sine causa me culpabilem esse Moniales dicebant, sed tua (ô Domine permissione) alij veritatem detegebant. Cum quodam die dicendo officium ad hunc peruenisse versiculum. (Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum,) cogitare cœpi quomodo id verum esset: non quod vñquam in rebus fidei dubitauerim, cum scirè te ô Domine omnipotenter, omnia tuæ Maiestatis opera conclusa apud me remanebant & indubitata, sed quomodo iustè famulabus tuis eos quos mihi tribuis fauores deneges, cum tamen religiosè ac deuotè tibi inseruant. Quæ cum animo revoluerem mihi respondisti. Attendi tu à seruirim, & non cercar, priuanti in questo, id est Tu vide mihi inseruias, & noli ulterius querere. Hæc fuit prima sententia mihi à te ô Domine dicta.

Sed satis mirari non possum hunc intelligendi modum, de quo alias, ne videar nimium ab incepta

incepta mea materia digredi: & sua Reuerentia  
hanc meam digressionem in malam non inter-  
pretetur partem, cum me in tali inueniam statu  
constitutam, vt mirum non sit si filum dicendi,  
quandoque perdam. Sed hoc mihi sufficere de-  
bet, q̄ magnam in me Dei misericordiam, expe-  
riar, mea mihi s̄epius remittendo peccata, hinc  
summa mea ingratitudo apparuit, cum sancto  
Petro semel quidem, mihi verò quām s̄epissimē  
mea remiserit peccata: hinc non sine ratione me  
tentauit diabolus, suadendo mihi ne tecum ô  
Dñe strictam tenerē amicitiam, cū nihilominus  
apertam fouerem inimiciā. Annon magna mea  
ô Domine erat illa cæcitas ad quē enim confu-  
gere in necessitate poteram nisi ad te qui es re-  
fugium meum? Quanta est enim insipientia lu-  
cem deserere, vt errando miserè seipsum quis  
offendat? Suadebat mihi inimicus humilitatem  
fictam, quatenus deserēdo columnam & funda-  
mentum, cui innitebar & sustentabar, maior at-  
que periculosior casus succederet. Vnde satis  
mirari non possum eiusmodi Diaboli astutiam.  
Suggererat mihi, quomodo fieri posset, vt mu-  
liercula sese orationi daret, quē tam ingentes fa-  
uores recepisset, sufficere vna cum aliis horas  
canonicas persoluere. Et quid hoc aliud erat  
quam non curare Dei gratiam eamque contem-  
nere? Sed benedictus sis tu ô Domine, qui ex  
gratia tua optimum adhibueris remedium. An-  
non & ipsum Iudam ita tentauit, licet ita aper-  
tē me non sit aggressus, verū paulatim in eius

M

locum

locum me detrudere conabatur. Hinc omnes qui sese volunt dare orationi sumant salutare exemplum, cum satis peruersa mea fuerit vita cum orationi vacarem, suggesto mihi Diabolus talement Deo humilitatem, odiosam & fictam; unde magna erat animæ meæ quietudo. Sed quomodo satiari & quiescere poterat separando sese à vera quiete? Mente considerabat anima mea Dei gratiam & fauorem: à peccatis mundari sperabat: sed illam Diabolus differri usque ad diem iudicij volebat, quo in infernum detruderet. Sed cum ex consuetudine legerem multa, & orarem clarè ipsam veritatem cœpi cognoscere; & licet lacrymando Domino satis importuna essem, non tamen, cum adhuc peruersa essem, per eiusmodi media resipiscere poteram, cum à veris mediis longe absuerim malorum occasiones non fugiendo, hinc quid aliud erat expectandum quā quod in infernum præcipitarer? Multum apud Deum, ut credo promeruit quidam Fr. ordinis S. Dominici, qui me eius gratia ex eiusmodi liberauit periculo, voluit enim ut singulis quindecim diebus cōsiterer & communicarem, & sicutanta deinceps mala non commisi. In me redij, licet tamen quandoque Deum & postea offenderim, non tamen veram viam penitus deserueram, quam esse mihi persuadeo orationem ipsam. Iam ex omnibus quæ hactenus dixi concludendum esse puto, ne quis sibi confidat licet maximam à Deo gratiam & fauorem receperit, cadere enim potest, & ideo seipsum expo-

## CAPITVLVM XIX.

157

exponere periculo non debet: magna enim hic timenda est Dæmonis illusio, nam licet sit Dei gratia manifesta & certa, eadem in sui fauorem vti solet, maximè circa personas in virtutibus adhuc non fundatas & mortificatas. Hæc doctrina multum præstat, quæ quidem mea nō est, sed à Domino mihi demonstrata. Optarem vtique vt eandem omnes indocti prout ego sum cognoscerent, nam quantumlibet anima sit in hoc statu, sibi confidere minimè debet, nec se pugnē committere, & non parum præstabit si seipsam in hoc casu defendere poterit. Hic armis indiget vt se se à Dæmonibus, & contra eorum insultus defendat: quia eius adhuc non sufficiunt vires vt cum illis stadium certaminis ingredi possit, eosdemque conculcare, prout illi qui in perfectiori sunt statu, de quo in sequētibus plura. Hæc verò est ars & astutia diabolica, qua animam captiuam tenet, quando videt eam summpere à Deo aestimari: quæ videns magnam inter bona cælestia & terrena differentiam, inter amorem quem illi demonstrat Deus & amorem ex nimia sui ipsius confidentia & securitate prouenientem, qua sibi persuadet non posse amplius cadere vel perdere quod gustat, & esse impossibile, vt propter hæc inferiora & turpia per sensualem delectationem induci possit, vt illud suave premium, (quod etiam ex parte in hac vita percipit) derelinquit, per hanc dico confidentiam Dæmonium illi aufert confidentiam quam de se habere debet, & sic seipsum periculo ex-

M. 2

ponit

ponit: atque bono zelo fructum facere incipit  
sine aliquo respectu, sibi persuadens quod de se  
ipso timere non debeat, quod sanè sine superbia  
nō fit, cum optimè sciat anima qualiter ex seipso  
nihil possit, sed ex magna Dei cōfidentia sine di-  
scetione, non animaduertit quod necdum an-  
nos infantiae exierit dum adhuc ad malum mag-  
nam habeat inclinationem. Eiusmodi quidem  
anima nidum egredi potest ex quo illam eripit  
Deus, volare tamen adhuc nescit, non habens  
virtutes fundatas, aut experientiam ut pericula  
& damnum inde emergens cognoscere possit,  
idque ex nimia sui ipsius confidentia. Hoc me  
præcipitauit, vnde magistro indigemus, nec non  
bonorum conuersatione. Evidem credo quod  
Deus eiusmodi animam perire non permettit  
vbi ad eiusmodi statum peruerterit, nisi forsitan  
totaliter suam diuinam dereliquerit Maiestatē,  
nec per eum stabit quin illi succurrat. Verum  
si ceciderit, videat ne à Dæmonio decipiatur, o-  
rationem derelinquendo, sicuti ego per falsam  
feci humilitatem. **L**e Dei bonitate confidat, que  
omnia nostra mala superat, & si in gratiam redi-  
re cupit, nostræ ingratitudinis est immemor, nā  
antequam ego Deum offendendo defatigarer,  
meas omnes offensas remisit, nunquam enim  
remittendo defatigatur: sed neque eius in nos  
miserationes finiri possunt, si alioqui nos ipsi in  
recipiendo non defatigamur. Sit benedictus in  
æternum, Amen. Et laudent eum omnes crea-  
ruræ.

C A P.

## C A P . X X .

*In quo tractatur differentia, quæ est inter vniō-  
nem, & raptum, & declarat quid sit raptus,  
nec non quoddam refert bonum quod ani-  
ma possidet, quam Dominus per suam boni-  
tatem sibi unit, ipsiusq; effectus describit, &  
est doctrina admodum admirabilis.*

**C**VPER E M per Dei gratiam vt scirem decla-  
rare differentiam, quæ est inter vniōnem &  
raptum, vel eleuationem vel volatum quem vo-  
cant spiritus, vel extasim, quia vnum sunt licet  
ista nomina differant: longè tamen præcellit  
ipsa vnio, & multo maiores operatur effectus,  
& operationes, nam videtur quod vnio sit prin-  
cipium medium & finis in interiori, & sic est, &  
sicut alia finiuntur in altiori gradu, ita operan-  
tur effectus interius & exterius, sed dignetur id  
nobis Dominus declarare, sicuti & reliqua de-  
clarauit, nam si sua Maiestas eius cognitionem  
mihi non dedisset, planè nescirem quibus mo-  
dis aliquid de eo scriberem.

Consideremus itaque modo qualiter hæc ul-  
tima aqua de qua ante dixi ita abundet, vt facile  
credere possemus, q; nubes illa diuinæ Maiesta-  
tis manendo nobiscum non plueret in hac terra  
propter eius incapacitatē: verumtamen quan-  
do respectu tanti boni grati sumus, opere adim-  
plendo quantum ex virtute nostra possimus,  
Deus Opt. Max. animam nostram colligit: non

M 3 secus

secus atque nubes terræ vaporess, eamque à terra eleuat, in cœlum ascendit, secum vaporess atrahit, ipsique cœlestia demonstrare incipit, quæ pro anima præparata tenet. Nescio si comparatio bene conueniat, attamen ita est. In huiusmodi raptu videtur anima esse non cum corpore quia deficere videtur & calor naturalis paulatim refrescit, licet cum maxima suauitate & delectatione. Hic ut fiat aliqua resistentia nullum est inuenire remedium, sed bene in vnione, ut qui adhuc in terra nostra peregrinamur, resistere possumus licet non sine pœna & vi aliqua, sed in raptu maiori ex parte non est remedium, sed bene in vnione, ut diximus. In raptu enim est impetus tam subitaneus & vehemens, vt illa nubes videatur & sentiatur eleuari & nescit quo, & licet debilitas carnis nostræ remaneat cum delectatione, nihilominus facit nos timere, vnde necesse est ut anima sit constans & magnanima, & resoluta magis quam in illis de quibus in præcedentibus dictum est. Eueniat tunc quicquid velit, & committat se Deo, & vadat ad eum ad quem deportatur gradum, nam licet non velit, omnino rapitur, est enim extrema illa violentia nam etiamsi omni vfa sim industria ad resistendum, nihil effici; maximè quādo publicè fieri ant eiusmodi raptus, & restiti timendo ne deciperer. Quandoque resistendo aliquid effici, licet cum maxima corporis mei distractione, sicuti qui cum gigante robustissimo ad certamen congregati defatigatus permanet. Quandoque

doque verò vt resisterem impossibile fuit , imò me anima portabat maximè caput , quandoque totum corpus à terra eleuando , sed hoc rarius mihi accidit . Verum cum hoc mihi semel euenisset in choro , volens genibus flexis communicare , magnam mihi pœnā intulit eo quod multæ præsentes essent . & mihi extraordinarium videbatur , quodque propterea me obseruare deberent . Vnde præcepi monialibus ( hoc enim successit quando iam Priorissi eram ) vt nemini id manifestarent . Verum quando animaduerti quod idem Dominus alias mecum facere vellet , existens in concione in quodam die festo in præsentia multarum mulierum nobilium , me interram prostravi , vnde quædam accidentes corpus meum tenere nitebantur , nihilominus manifestabatur . Multum tunc Dominum rogabam ne eiusmodi fauores exterioret apparentiam habentes mihi amplius exhiberet , defatigatam enim me videbam propter respectum gratiæ mihi exhibitæ , quem de me conceperant , cum illa celari amplius non posset quin sciretur . Et complacuit Domino me in hac parte exaudire , quia in hanc usque horam præsentem tale quid mihi non accedit , licet breue illud tempus sit , quod mihi contigerit . Quando resistere conabar , videbar quadam violentia sub pedibus meis eleuari , & nescio cui hoc comparare potero , quia maiori siebat cum impetu , quā in omnibus alijs supradictis , vt remanserim quasi in partes diuisa , fuit enim magna concertatio , sed resistendo ,

M 4

parum

parum poteram : quia quando Dominus vult,  
nulla est potentia contra eius omnipotentiam.  
Placet præterea Dominus ut cognoscamus, quod  
velit nobis gratiam suam præstare, quodque per  
suam diuinam Maiestatem non stat, quo minus  
illam nobis præstet, nihilominus faciendo per  
humilitatem resistentiam, in nobis eiusmodi re-  
linquit effectus , quasi omnimode consensum  
nostrum præbuissimus. Effectus quos operatur  
magni sunt , quorum primus est, quando ani-  
mæ Dei omnipotentia demonstratur, cuius par-  
tem ne minimam quidem anima habere potest,  
quando sua Maiestas nō vult, vt ne corpus qui-  
dem retinere possit , sed neque animam , cum  
eorum Dominus non sit, & licet non velit, cog-  
noscere debet quod superior sit, quodque eius-  
modi fauores ab ipso procedat , quodq; nihil ex  
nobis ipsis possimus. In anima tunc summa impi-  
mitur humilitas, idque non sine timore in prin-  
cipio, maximè ideo quia videtur corpus à terra  
eleuari maxima cum suavitate si nō resistit, sen-  
sus enim mihi non deficiebat ita quod cognouerim me eleuatam. Demonstratur etiam ma-  
gna pars maiestatis diuinæ quæ hoc facere po-  
test, ita quod capilli erigantur, remanetq; ma-  
gno cum timore, ne Deum offendat, verum ti-  
mor iste magno perfunditur amore , quem de-  
nouo anima acquirit, considerando tantū amo-  
rem diuinum erga vermem ita vilem : ex quo  
videtur velle non solum animam ad seipsum at-  
trahere verum etiam & corpus : corpus dico ad-  
huc

huc mortale & ex terra formatum, quo toties  
Deum offendit.

Relinquit præterea in anima displicantiam  
quādam mirabilem, quam verbis declarare mi-  
nimè possum, sed neque videtur mihi dici posse,  
differt enim ab alijs rebus ad spiritum pertinen-  
tibus, quia quātumlibet remaneat quantum ad  
spiritum, omni tamen modo remanet separata:  
videtur quod hic velit Dominus vt ipsum cor-  
pus quendam effectum producat, quod ab omni-  
bus terrenis abhorreat: ita vt vita præsens one-  
rosa & pœnalis videatur. Ut autem eiusmodi in  
nobis pœna eueniat efficere nos non possumus,  
& vbi aduenit, vt discedat nequaquam similiter.  
Vtinam hanc pœnam bene describere possem  
vt intelligar, præstabō tamen quicquid potero.  
Scire in primis debemus quod hoc plerunque  
circa finem post omnes visiones & reuelationes  
quas describam, eueniat, idq; eodem tempore,  
quo solebam orationi vacare, non sine gustu &  
maxima consolatione, quæ licet non deficiant,  
attamen pœna illa de qua modo dicam est magis  
ordinaria: estque illa pœna aliquando maior,  
quandoque minor. Dicam modo quando sit  
maior, & postea de magno impetu, qui sentitur  
in raptu. Tunc meo quidem iudicio aliud non  
videtur quam aliquid, quod est multum corpo-  
rale, & aliquid multum spirituale, & credo me  
id non multum ampliare: quia illa pœna, licet  
eam sentiat anima, nihilominus cum corpore, &  
corpus una cum anima eius pœnæ sunt parti-

M 5 cipes,

cipes, quam ut acquiramus, nos non concurri-  
mus; & multoties ex improviso euenit eiusmo-  
di desiderium quod animam penetrat, & in vni-  
co momento instantum defatigari incipit, ut ma-  
xime supra seipsum eleuetur, & super omnes  
creaturas: & Dominus illam facit ab omnibus  
rebus mundanis ita alienam, ut nullum in terra  
inuenire possit, qui eam concomitetur, licet  
multum talem desideret, & sic sola in illa solitu-  
dine mori desiderat. Tunc verò ut loquatur li-  
cet omnem adhibeat operam, non iuuat, & mihi  
videtur quod tunc Dominus longissime absit,  
licet aliquoties suam animæ communicet mag-  
nificentiam, sed modo quodam extraneo, ut re-  
ferri, vel credi aut intelligi non possit, nisi per  
experientiam quis probaret. Magnificentia di-  
uinæ communicatio tunc animæ non datur ad  
consolationem, sed ad demonstrandum ratione  
ob quam defatigari debeat, cum longè sit ab ipso  
bono, quod omnia in se bona continet. Ex ista  
verò communicatione & extremitate solitudi-  
nis in qua se inuenit, cum pœna quadam delica-  
ta & penetrativa crescit desiderium in illa soli-  
tudine, quæ secundum literalem sensum ita vo-  
cari potest, & forsitan ita eam vocavit Regius  
Propheta inueniendo seipsum in tali solitudine  
quando dixit, vigilaui & factus sum sicut passer  
solitarius in tecto, & in tali modo tunc mihi re-  
præsentabatur versiculus iste. Hinc summam  
conceperam consolationem quando illam soli-  
tudinis extremitatem alios etiam probasse intel-  
ligerem.

ligerem. Videtur quod tunc anima in se ipso non sit, sed potius in tecto sui ipsius & omniū rerum creaturarum, etiam supra summam altitudinem & altitudinis extremitatem, & in superiori animæ parte videtur ipsa stare. Alias etiam videtur anima summa necessitate cōstricta ex semet ipsa interrogando dicere : Vbi nunc est Deus tuus? & est maxima consideratione dignum, cum huīus versiculi literalem sensum nō intellecterim, hinc, videndo quod Dominus ipso facto mihi declarauerit licet non procurauerim summam inde concepi consolationem. Alia etiam sacræ scripturæ loca mihi in mentem venerant, inter quæ est S. Pauli : Ego crucifixus sum mundo. Nō dico me talem esse quia scio contrarium esse verum: Nihilominus quandoque anima in tali est statu, ut neque ex cœlo ipsi veniat aliqua consolatio, neque ex terra, sed neque est in cœlo, aut in terra esse videtur : sed ut inter cœlum & terram sine eo quod ex aliqua parte consolationē, aut succursum habeat, crucifixa remanet : nam quod ex cœlo habet, est quedam Dei notitia, admodum admirabilis, & excedit omne id quod desiderari potest, nec non causat maximum tormentum, quia desiderium mirificè crescit ; ita quod propter pœnam desiderij sensum perderet, si diutius duraret : videtur transitus mortis, hoc tum excepto quod secum magnam adferat consolationem, quam cui comparare possim nō inuenio, est quidem martyrium magnum verum suave, nam licet animæ terrena & delectabilia

bilia repræsententur, nihil horum acceptat, verum omnia abijcit & contemnit, cum nihil aliud præter Deum velit, & desideret : nihil tamen in eo particulare amat, sed totum simul vult, & nescit quid velit, quia nihil ipsi per imaginacionem sese repræsentat, & meo iudicio parum durat. Potentiæ hic non operantur, sicut in vniione & raptu, quia gustus illas suspendit. Sed quis hoc tuæ Reuerentiæ declarare poterit ut intelligat? quo ad minus ab ea discam quidnam sit, in eo enim exercitio majori ex parte anima mea modo versatur, & cum non habeat in quo tempus transfigat, in eiusmodi remanet mortis angustijs : & timet quando videt quod mori incipit: nihilominus quando eo peruenit, vellet per totū vitę suę tēpus in illa remanere pena quamvis tantoperè sit excessiva, vt corpus illā sustinere vix possit. Eodē tēpore pulsus ita perditur, vt non sentiatur, prout retulerunt mihi aliquæ meæ sorores, & ossa mea ita remanent aperta, & manus rigidæ, vt eas coniungere non possim, nec nō dolor per totum meum corpus remanet usque in diem subsequentem. Imaginor quod dolor iste cum vita mea finietur, quando ita Dominus placebit, cum sufficiens videatur ad mortem inducendam : & omne desiderium meum tunc est mori, & tantum est tunc desiderium vivendi Deum, vt neque de purgatorio, aut peccatis meis grauissimis quibus infernum promerui, quicquam cogitem, & illa solitudo videtur animæ melior & præstantior, quam est totius mundi societas.

societas: & tantum in eo consolari posset, si tractaret cum aliquibus, qui eiusmodi tormentum sunt experti, & licet pœnam sustineat & de ea conqueritur, tamen non est qui credit, & tanta est pœnæ acerbitas, vt nolit solitudinem sicut aliæ pœnæ requirunt, nec vellet sodalitatem nisi vt de pœna conqueri cum aliquibus posset. Itaque sua Reuerentia consideret qualem nunc in hac vita habeam quietem & consolationem, posteaquam illa quam ex oratione & solitudine habere confueueram sit in pœnæ acerbitatem conuersa, attamen mihi suavis est, cum anima mea cognoscat maioris esse pretij quam omnes ante consolationes. Videtur enim mihi iter crucis securius, habet namq; in se gustum maioris valoris, cum aliud anima cum corpore nō habeat quam pœnam, & anima est, quæ sola patitur, & ex gustu quem illi pœna porrigit summopere gaudet. Ignoro quomodo id fieri possit, nihilominus ita est. Et hanc gratiam quæ de manu Domini venit, cum sit quiddam supernaturale, non commutarem pro omnibus alijs, de quibus postea per ordinem dicam, omnes enim impetus spiritus proueniunt post gratias mihi à Domino concessas, & hucusque in præsenti libro scriptas, & in hoc præsenti statu in quo me Dominus detinet.

Itaque remanendo in principio cum timore, (sicuti in omni gratia mihi euenire solet, quo usque vterius progrediendo securam me reddit Dominus) dixit mihi ne timerem: quodq; pluris

pluris hanc gratiam facerem quām omnes alias  
hactenus mihi concessas: in eiusmodi enim pē-  
na anima purificatur, non secus atque aurum in  
fornace, vt eo melius in illā thesauri donorum  
eius reponi possint: quodque hoc modo illud in  
purgatorio purgandum restat purgaretur. Equi-  
dem cognoscebam magnam illam esse gratiam,  
quia maiori cum securitate remansi: idem, con-  
fessarius affirmans, bonum esse dicebat, & licet  
timuerim cum scirem meam imperfectionem,  
nunquam tamen credere poteram malum esse;  
imò mihi illud maiorem incussit timorem dum  
recordarer quām parum boni promeruerim.  
Benedictus sit Dominus quoniā bonus, Amén.

Videtur quod nimium extra propositum sim  
digressa, incæperam enim de raptu tractare, sed  
istud de quo nunc dixi est plusquam raptus, &  
non alios relinquit effectus quam vti dictum  
est: itaque ad raptum reuertamur & de eo dica-  
mus, quod magis est ordinarium. Et dico meo  
quidem iudicio, quod corpus meum ita leue  
permanerit, vt omnem grauitatem à me abstu-  
lisse videatur: & quandoq; leuitas illa tanta erat,  
vt ne pedem quidem in terra sistere potuerim.

Quando iam anima est in raptu corpus re-  
manet quasi mortuū & nihil facere potest, & in  
illo statu in quo est remanet semper si sedet, se-  
dendo manet, si manibus apertis, aperta manet,  
si sunt complicatae ita remanent: & licet rarius  
perdatur sensus, mihi tamen quandoque acci-  
dit, vt sensum pēdiderim: idque per breue tem-  
poris

poris spacium , sed ordinarium est ut perturbeatur , licet per se quantum ad exteriora nihil facere possit: non tamen inde impeditur, quin cognoscat, & quasi à longè audiat. Non dico quod intelligat, vel audiat quando est in extremo gradu ipsius raptus, quod est quando potentiae perduntur, quia admodum cum Deo unitæ manent, & tunc meo quidem iudicio non audit, non videt neque sentit, sed ut dixi in oratione vniōnis, transacta illa transformatione animæ in Deo omnimode parum durat, sed interim dum durat nulla sentitur potentia, nec scit quid ibi agatur: & est tale quid quod quamdiu in hac vita peregrinamur sciri non potest, vel dominus non vult Deus: quia forsitan capaces non sumus, & hoc ipsum sum experta. Raptum illum quem probaui habui per temporis interualla de quo dixi in oratione præterita, aliquoties anima s' *ingolfa*, i, *repletur*, o l' *ingolfa il signore in se*. vel illam Dominus in se replet, ut melius dicam, & sic illam in se tenendo remanet cum sola voluntate, & per intellectum, non discurrit. Videtur quod illa agitatio duarum potentiarum, intellectus scilicet & memorie sit in modum iudicis horologij solaris quod nunquam quiescit, sed quando sol iustitiae vult, quiescere debet. Hoc paruo temporis spacio durat, & quando impetus est magnus nec non spiritus eleuatio ( etiā si aliæ potentiae redeant ut operentur ) remanet tamen voluntas assumpta, & dominatur supra totius corporis operationes, & quantumlibet aliæ

aliæ duæ potentiaæ remanentes inquietæ qua-  
rant voluntatem perturbare , nihilominus alij  
sensus non perturbantur: & sic pauciores habet  
inimicos, vnde debent remanere suspensæ , &  
hoc q. a ita vult Dominus. Maiori verò ex parte  
manent oculi clausi , etiamsi eos claudere non  
velimus, & si quandoque remanent aperti , non  
tamen considerat nec aduertit quod videt. Hic  
minus ex se corpus facere potest , sed si aliæ po-  
tentiaæ redeunt, & coniunguntur minus habet  
quod faciat: & ideo ille cui Dominus hanc dat  
gratiam , contristari non debet , si videt corpus  
suum per aliquot horas ita ligatum , videatque  
memoriam & intellectum diuertisse. Verum est  
quod ordinariè occupantur circa laudes & glo-  
riam Dei, volentes comprehendere vel intelli-  
gere quid in illis actum est: attamen ut hoc præ-  
stare possint sunt insufficientes, & sese habent in  
modum alicuius, qui multū dormiuit & somnia-  
uit , & adhuc non est bene excitatus. Prolixior  
sum hic in declarando, idque ideo quia scio ali-  
quos præsentes esse quibus Dominus hanc gra-  
tiā concessit; & si ipsi à quibus gubernantur  
hanc viam non sunt ingressi , forsitan iudicabūt  
quod in raptu remaneant sicuti mortui , & par-  
ticulariter si docti non sunt : vnde est compas-  
sione dignum , eo quod multum patiantur per  
confessarios, qui hoc non intelligunt, sicuti po-  
stea dicam. Potest tamen fieti , quod ego ipsa  
non intelligam quod dico. Tua Reuerentia in-  
telliget si ita est, postquam tibi Dominus in hoc  
dederit

dederit experientiam, licet adhuc non sit multum temporis, quod eam habuerit: & ideo forsitan non ita animaduertit. Dico igitur, quod quamuis tunc per aliquod temporis spacium in corpore meo procurem fortitudinem aliquam ea vti non possum, quia eam anima secum sumit, solum illud quod infirmum atque doloribus plenum est quandoq; remanet: magna enim sunt quæ ibi donantur, & quandoque Dominus vult vt corpus animæ obediendo gaudeat. Quando vero anima in se redit ( si raptus fuerit alioqui magnus ) accidere solet, vt per vnum vel duos, imo per tres dies remaneant potentiae in tantum absorptæ, quasi essent inebriatæ, & quasi apud se non essent. Hic sentitur pena quando denuo viuere debent. Hic creuerunt alæ vt bene volare possint: hic vexilla Christi prodeunt, vt huius propugnaculi Castellanus turrim altissimam ascendens vexillum Christi erigat. Inferiora ita conspicit, vt qui in loco securum manet, iam pericula non timet, imo ea considerat, sicuti qui securus de victoria redditur. Hic videt quam parum quæ sunt huius mundi aestimari debeant. Qui in altiori manet loco simul quam plurima videt, nil aliud desiderat quam quod Domino placet, sic orat, vt voluntatis suæ ipsi clauem tribuat. Hortulanus modo factus Castellanus aliud nihil vult quam quod sua vult diuina Maiestas, quia in posterum proprium habere non vult, sed neque partem cum semet ipso, aut cum aliquo alio, neque cum puteo, aut

N

fonte

fonte istius horti, si quid in eo est boni, diuidat illud sua Maiestas: quia se ipsum penitus vult conformare suæ voluntati diuinæ. Verè ita succedit, si alioqui est verus raptus, quia cum tali effectu & utilitate remanet.

Hoc per experientiam scio, quod anima remaneat omnium domina, magna cum libertate, idque ad minus per horam, ita quod ipsamet cognosci non possit. Satis bene cognoscit bonum illud non esse suum, neque scit quomodo illi sit concessum: attamen clare maximam videt utilitatem quam singuli raptus secum adferunt. Non est qui credit nisi sit expertus. Et ideo eiusmodi animæ non adhibetur fides, cum nouerint eius prius statum miserum, & modò videant eandem prætendere altissima quæque & magnifica, eamque ita videant exaltari, ut non sit contenta Deo aliqualiter inferuire; verum meliori quo potest modo. Sibi persuadent quādam fore tentationem & stultitiam, verum tamē si scirent quomodo ex se ipsa non proueniat, sed à Deo, cui clauem suæ voluntatis confisit, non mirarentur. Teneo pro certo quod anima, quæ ad hūc peruenit statum, non loquatur amplius, aut operetur quicquam ex se: verum in eo & per eum, qui eius habet curam, qui est omnium Rex supremus. O Domine Deus, quā n manifestè videtur oratio Dauidis verificari quando dicit: Quis mihi dabit pennas sicut columbae, & ascendam & requiescam. Hic clare apparet ipsius spiritus volatus quem apprehendit,

hendit, animam super omnes res creatas & supra seipsum eleuando, estque volatus admodum suavis & delectabilis estque sine aliquo strepitu. Magnum tunc habet anima dominium, quando a Domino ad eiusmodi gradum eleuatur, omnia enim videt mundana sine eo quod in illis intricitur, multumque penitete eo, quod per aliquid temporis spacium fuerit in illis irretita, & in quantum tunc ipsius admiratur cœcitatem? & quantum affligitur dum videt quam plurimos in tali permanere, cœcitatem? maximè personas orationibus addictas? Utinam contra eiusmodi exclamare possem, quod intelligent quomodo deceptæ miserrimè remanent; maximè dum adhuc discere deberent, alios docere volunt: & illos a quibus discere deberent. Hinc fit, ut in mille cadant persecutio[n]es, utque contemptui habeantur, idq; non sine ratione: quia nesciunt quo impetu agitantur, & moueantur; neque admoneri sese permittunt, aut quos amant ex periculo liberari: iudicando verum esse honorem eum, qui a mundo pro honore reputatur, in quo miserè decipimur omnes. Verus honor non in mendacio, sed in veritate consistit; in precio & existimatione habendo, quod in veritate ita est. Vnde anima quæ ad illum peruenit gradum miratur, quod aliquando in precio habuerit huius mundi diuitias & pecunias: cum per eiusmodi saepius comparetur infernus, ignis æternus & poenæ sine fine. Si vero vnuquisq; diuitias pro terra, que iuuare non potest, computaret, annon

N 2 mundus

mundus in pace confisteret? magna cum charitate sine dubio procederemus, & tanta non fieret honoris & diuitiarū existimatio: credo quod sine dubio omnia essent salua. Annon magna est cæcitas huius mundi quærere delicias? Nunquid per illas in hac vita molestiæ crescunt & mentis inquietudo? Et ad quid tanta inquietudo & delectatio dum in vanum laboratur? Quādo anima eo deuenit, non tantum animæ sua aranearum telam & defectus videt, sed etiam puluerem minutissimum, quia solem perspicit clarissimum. Et licet anima multum laboret, ut sit perfecta, nihilominus si sol illam perstringit, turbida omnino apparet, non siccus ut aqua in vitro absente sole admodum clara videtur, sed resplendente sole atomis plena conspicitur, quæ comparatio non videtur extra propositum nostrum esse, nam ante eiusmodi extasim anima parum curare videtur, si Deum offendit, sed postquam sol iustitiae eam perstringit eiusque aperit oculos, tantum videt luti ut oculos denuo claudere vellet, cum adhuc non sit facta huius aquilæ generosæ filia, ut sine palpitatione hunc solem conspicere possit: & si tenuerit parum per oculos apertos, totam se turbidam videbit; & admirando dicet. *Quis iustus in conspectu tuo?* Quando sol iste diuinus videt, quod sua claritate oculos obfuscat, tunc anima in seipsa lutum videns, oculos claudit: & attronita nec non stupefacta ex claritate quam videt, cæcariemanet parua illa columba. Sic plerunque euenire

nire solet. Hic vera acquiritur humilitas, nec amplius curat, vt bene de ipsa dicatur. Dominus horti est, qui fructus horti distribuit & non anima: hinc fit quod manu propria nihil attinere velit, & omne bonum quod habet in Deum dirigit: si quid loquitur est ad Dei gloriam, cum sciat quod nihil ex se ipsa habeat: facere nihil potest quin sciat, quia illud videt etiam si nolit, circa transitoria & mundana ipsi claudere oculos potest, eosdemque tenere apertos, ut ipsa cognoscatur veritas.

## C A P. XXI.

*In quo ultimum orationis prosequitur gradum, eundemque absoluunt. Refert quid anima in hoc gradu sentit, quando in se redit, ut in mundo viuat, & tractat quomodo anima illuminatur in cognoscendo huius mundi fallaciam, & est doctrina admodum singularis.*

**V**T modo finem imponam subiungo, quod hic ipsius animæ consensus non amplius requiratur, cum suam voluntatem in manu Dei posuerit, cumque eum decipere non possit ex quo omnia sciat. Non ibi eo modo proceditur prout in hoc mundo simulatione & fraude pleno. Fælix est anima, quæ ita à Domino gubernatur, ut veritatem cognoscat, & intelligat. Fæliciorem statum ipsi Reges desiderare nō possent, & melius in hoc facerent, quam si multa sibi do-

N 3 minia

minia & regna compararent. In hoc statu non timet anima vitam neque honores propter Deū perdere. Quam excellens est illis hoc bonum, qui magis obligantur in procurando Dei honorem, quam qui minus obligantur, posteaquam ipsimet sint illi Reges quos sequuntur. Hac ratione prouocati pro minimo fidei sanctæ augmēnto, & hæreticorum extirpatione mille perdere deberent regna, ut aliud quod est æternum acquirere possent. Et si per vnam solam aquæ viuæ & cœlestis guttam quam anima gustat, nauseam sentit ex rebus mundanis, quid non fiet quando se totam in pelago huius aquæ cœlestis inueniet immersam? Quid si ô Domine tua Maiestas diuina me in tali constituisset gradu, ut hęc & similia exclamando referre possem? Sed quis mihi crederet? Ad minus mihi ipsi in hoc satisfacerem. Parum vitam meam curarem, modò vnicam tantum veritatem ipsis persuadere possem; quid verò postea futurū esset nescio, cum nemo sibi de me fidere debeat cum sim illa, quæ sum, mihi nihilominus magni eueniūt impetus, hæc referendo illis, qui mihi mandant, qui me etiam consumunt. Sed cum plura non possim, ad te ô Domine configio, & peto à te in omnibus remedium, qui optimè nouisti, quam voluntariè priuarer gratijs quas mihi contulisti, remanendo tamen in eo statu, ut te non offendam, & similes gratias Regibus optarem, certo sciens, impossibile fore, ut illis consensum præberent in quibus modo consentiunt, & sic sum.

summum inde sequeretur bonum. Te igitur ô Domine Deus deprecor, vt illis hanc concedas gratiam, vt id cognoscant; maximè illi qui singulariter ad hoc sunt constituti vt mundum gubernent, quorum cometæ & signa quando à te vocantur in cælo apparent, sicuti & in tua morte multa apparuerunt. Sua Reuerentia si quid hic est mali laceret, sed interim credat, quod hoc idem in eorum præsentia libentius dicerem, si possem & certa essem quod mihi crederent: eos-dé(enim) Deo quām maximè commendo, & desidero vt hoc illis prosit: illud tamen sine vitæ meæ periculo fieri non posset, qua tamen hac occasione priuari desidero, & quid hoc aliud esset, quam parum quid perdere, vt quam plurima lucrari possem? Maximè cum propter malorum hominum cæcitatem & iniquitatem, quæ vbi-que abundat vix viuere quis possit? Quando eo anima deuenit, non sunt solius animæ deside-ria illa, quæ ex amore Dei proueniunt, sed Deus illi ulterius hanc tribuit virtutem, vt opere de- sideria adimplere possit: quia nihil sibi propo- nit nisi quod ad Dei gloriam spectat, verè sciens omnia nihil esse, quam quæ Deo placent, eius amori semper inhærere cupit, cum omnia præ- tereant præter amare Deum, & dolet cum occa- sio se non offérat, vt fructum faciat, licet & mei parui sint momenti, faxit Deus Opt. Max. vt suæ Maiestati satisfacere possim, cui multum debeo. Sunt quam plurimæ mulieres generosæ quæ multum operantur boni, vbi ego loquendo

N 4 tantum

tantum tempus transigo, tu quæso ô Domine in  
me perficias, quod desideratur: tibi enim inser-  
uire cupio, licet non cum tanta libertate, quæ  
requiritur, cum in omnibus me deficere cog-  
noscam, & ideo ubi animam meam ad bonum  
disposueris eandem, ut tua gratia confortare di-  
gneris humiliter precor & mihi modum quo ti-  
bi bene inseruire possim præscribas, cum tanta  
non debeam beneficia recipere sine aliqua sa-  
tisfactione: constet illa quantum constare pos-  
sit, ne manibus vacuis coram te compaream,  
cum labor premio correspondere debeat. In eo  
enim *mea* consistit vita nec non voluntas, tua  
namque sum: tibi omnia *mea* dedi, me itaque  
disponas conformiter secundum *tuam* & non  
*meam* voluntatem: video me parum posse, sed  
vniat tecum & in altiori constituta turri verita-  
tem conspicio, & tu mecum manendo omnia  
potero, verumtamen si parum à me discesseris,  
ad primum reuertar statum, qui est ipsius in-  
fernii.

Quando anima est in tali raptu & redire co-  
gitur, ut cum aliis conuersetur, & corpus guber-  
nando tempus transigere, dormiendo scilicet &  
manducando, videtur planè defatigari: dum hu-  
ius mundi misericordiam animaduerit, vnde non si-  
ne ratione cum Apostolo exclamat, Cupio dis-  
solui & esse cum Christo. Hic aliquando tan-  
tus sentitur impetus, ut videatur anima à cor-  
pore separari, & desiderando eiusmodi separa-  
tionem, cum non obtineat, in hoc mundo ince-  
dit

dit quasi vendita esset & tradita. Hi sunt effectus ipsius raptus quando est ex spiritu diuino, quamuis non desint alij effectus quamplurimi. Animæ vero totaliter a Deo electæ & in tali statu confortatae sunt, ut & alij per ipsas adiumentur, quamuis & hoc a Deo procedat & non a seipsis, & dum sunt in eiusmodi gradu Deus illis multa comunicat secreta. Hinc reuelationes & quamplurimæ visiones proueniunt, vt magis humilientur & confortentur, vtque eo minus bona huius mundi aestiment, ac magnitudinem premij cognoscant, quod ipsis Dominus preparauit, qui suæ Maiestati inferuiunt. Faxit Deus vt ego misera & peccatrix ita ipsi inferuiam, vt qui haec legent, omnia per Dei amorem relinquant; ex quo tam abundanter, & cum fœnore ministris suis remunerare solet, vt etiam eius premium & lucrum quod accepturi sunt, qui illi inferuiunt, in hac vita clarè videatur, & quid futurum credimus in alia?

## C A P. XXII.

*In quo tractatur quām sit pro contemplatiuis via secura dum eorum intellectum ad altiora non extollunt, nisi a Domino eleuetur: nec non quomodo Christi humanitas optimum sit medium pro maiori contemplatione. Refert præterea illusionem quandam in qua aliquamdiufuit, & est capitulum maximæ utilitatis.*

N S

V N V M

**V**NVM occurrit quod meo quidem iudicio magni est momenti. Si illud bonum tuæ Reuerentiae videbitur, pro maiori cautela sibi inseruet, si alioqui illo indiguerit, quia id idem in aliquibus libris vbi de oratione tractatur, habetur: Quod scilicet humanitas Christi illis qui usque ad perfectam contemplationem peruerterunt & profecerunt, impedimentum potius præstet; licet anima per seipsum ad eiusmodi gradum peruenire non possit, cum sit opus supernaturale, quod Dominus in isto gradu operatur: quamvis aliquot annis per viam purgatiuam processerit, & per viam illuminatiuam profecerit, quamquam ignorem quare illuminatiua vocetur, & credo quod eam ita vocant propter illos qui proficiunt. Pro se allegant illud Christi quod Apostolis dicebat de assensione in cœlum & de missione Spiritus sancti.

*Si non abiero Spiritus sanctus non veniet ad vos.*

Sed mihi videtur quod si ita in fide fuissent fundati, & sicuti postquam venit Spiritus sanctus, humanitas Christi nullum illis posuisset impedimentum, posteaquam Dominus Apostolis & non matri illa verba dixerit. Sed respondendo dicunt, quod, cum illud opus sit omnino spirituale, possit perturbari & impediri per quodcunque opus corporale, & quod committendo se orationi sine determinata meditatione & cōsideratione, quod sit Deus in omni loco & seipsum

sum inuenire in Deo repletum, hoc esse illud  
quod procurare debeant.

Hæc doctrina meo quidem iudicio quandoque est bona, sed in toto à Christo discedere, & quod ipsius corpus ponatur in numero nostrorum miseriarum vel cum aliqua re creata, hoc ego ferre non possum, faxit Deus ut intelligam; non enim contradicere audeo cum sit doctrina doctorum virorum & spiritualium, qui sciunt quid dicant, & per diuersa media solet Deus animas custodire sicut meā custodiuit, & ideo ego me illis non intromitto. Sed referam periculum in quo fui legendo tales libros, & volendo me conformare illis quæ legebam. Utique credo quod qui ad talem gradum vniōnis peruenit, & ulterius procedat habeatque raptus, visiones, & alias gratias quas Deus animabus concedit, iudicabit melius esse, quod dictum est, sicuti & ego tunc iudicabam. Sed si in illa opinione permanissem, nunquam ad hunc gradum in quo modo sum peruenissem, & meo iudicio erat illusio, potest tamen esse ut decipiatur, dicam tamen quid mihi acciderit. Cum essem sine magistro legebam eiusmodi libros ex quibus putabam me paulatim aliquid posse intelligere, q̄ tamen tunc minimè, sed postea intellexi, & nisi Dominus me docuisset parum ex ipsis libris percipissem: quia nihil erat quod intelligebam, quo usque à sua Maiestate fui instructa, sed neq; incipiendo orationem supernaturalem scilicet quietis sciebam quid facerem, studebam à me reijcere \*

reijcere omnia corporalia , licet non fuerim au-  
sa animam meam eleuare , quia cum sciuerim  
me miseram , præsumptuosum id fore cognosce-  
bam , sed nihilominus meo quidem iudicio , Dei  
præsentiam sentiebam , & sic erat ; laborabam  
vt cum ea remanerem vnta , & est oratio admo-  
dum suavis , si alioqui Deus adiuuat , & est ma-  
ximum delectamentum , & sentiendo gustum  
mirabilem , non habebam qui me faceret redire  
ad Christi humanitatem considerandam , & de  
facto videbar recipere impedimentum . O Do-  
mine animæ meæ , ô dulcissime Domine I E S V  
**Christe crucifice** , nunquam hæc mea mihi in  
mentem venit opinio quin maximam sentiam  
pœnam , & videtur quod in hoc magnum com-  
miserim errorem , licet per ignorantiam : fueram  
enim tempore totius vitæ meæ admodum Chri-  
sto deuota , & hoc factum fuit paulo antequam  
Deus mihi eiusmodi concederet fauores per ra-  
ptus & visiones ; & sic paruo temporis spacio in  
hac opinione remansi , & statim ad meam redij  
antiquam cōsuetudinem , me cum Domino no-  
stro Iesu Christo consolando , maximè quando  
communicabam . Desiderabam in meo conse-  
etu eius semper effigiem & imaginem habere ,  
posteaquam eandem non ita in corde meo scri-  
ptam & impressam habere potuerim prout desi-  
derabam . Sed est ne possibile ô Domine vt ali-  
qua in me fuerit per vnius horæ spacium cogita-  
tio , qua per te maius debuerit impediri bonum ?  
Sed vnde mihi omnia bona proueniunt nisi è te  
Domini

Domine? Nolo igitur cogitare in eo me culpam  
commisisse, quia me nimium afflit, & certe  
ignorantia erat. Attamen sua diuina Maiestas  
mihi per suam in me misericordiam remedium  
porrigere voluit, mihi assignando, qui me ex si-  
mili errore liberaret, vtque deinceps clarius co-  
gnouerim in quanto errore cecideram , vtque  
hunc errorem alijs significarem feci, quod po-  
tui , eundemque in hoc loco describam : & iu-  
dico hanc esse causam , quod multæ animæ non  
proficiunt: nec perueniunt ad illam spiritus li-  
bertatem , quando vnionis orationem gustant:  
& aliam non esse rationem dico quā illum er-  
rorem de quo iam dixi : & hanc opinionem du-  
plici ratione probare possum: quarum prima  
est; Quia in iam dicta opinione latet quædam  
subtilis superbia & parua humilitas , ita vt non  
cognoscatur. Et quis erit tam superbus, qui po-  
ste aquam toto vitæ suæ tempore est defatigatus  
pœnitentiam agendo, orando , persecutio[n]es  
maximas preferendo , non putet sibi abundè sa-  
tisfactum, si stare possit cum Sancto Iohanne ad  
pedes Domini nostri in cruce crucifixi ? Nescio  
quis sit qui in eo contentus esse non possit : me  
excepta, quæ in eo perdidì in quo lucrari debe-  
bam. Nunc verò si quis propter debilem eius  
complexionem, aut infirmitatem, cum videatur  
res difficilis, non potest semper Christi passio-  
nem meditari , quid impedit quo minus cum  
Domino stare possit post eius resurrectionem?  
cum eundem vicinum habeamus in sanctissimo  
sacra-

sacramento, in quo ipsum considerare possumus gloriosum, sine eo quod consideremus eum ita afflictum, sanguine conspersum & crudeliter tractatum ab illis quorum salutem sitiebat? Verum est quod non semper meditari possumus qualiter Christus est passus, saltem eundem consideremus gloriosum confortando suos antequam in cœlum ascenderet. Sua Reuerentia aliam non querat viam etiamsi ad summitatem contemplationis peruererit, quia hec est via secura. Dominus noster est à quo nobis omnia procedunt bona, ipse nos suo docet exemplo quid faciendum sit. Quid viterius desiderabimus si nobiscum habuerimus amicum, qui nos in tribulationibus non deserit sicuti amici huius mundi? Fælix qui illum in veritate amat, & semper secum habet. Videmus quod S. Paulus eum in corde habebat cum vix aliud ex eius ore prodierit quam nomen Iesus. Attente consideravi, quod multi sancti contemplati per hanc viam transierint, S. Franciscus Christi vulnera meditando, S. Bernardus humanitatem Christi considerando sicuti alij sancti quam plurimi. Abstrahi verò ab omnibus rebus corporalibus bonum quidem esse potest, cum id dicant homines spirituales, sed meo iudicio hoc conuenit animæ quæ multum profecit: quia hucusque clarū est quod Creator per ipsas creaturas quæcumque debeat, omnia namq; consistunt in modo quem Dominus cum una quaque anima tenet, in quo ego me non intromitto. Veniamus modo ad secundum

secundam rationem. Certum est quod nos non sumus Angeli, corpus habemus, & volumus nos facere Angelos in terra firmiter manendo, sicuti ego eram, maxima est sane insipientia. Oportet nos nostras cogitationes habere ordinatas, & licet anima quandoque sit extra se, & inueniat se à Deo repletam, ut necesse non sit per res creatas seipsum colligere. Verum hoc non est tam ordinarium quin Christus noster sit bonus amicus, in nostris persecutionibus & molestijs, quando tanta quietudo tempore ariditatis & mentis hebetudine haberri non potest: & cum tunc noster est socius, facilius ipsum tunc nobiscum inuenimus, & ideo cum cruce remanere admodū bonum est, cum oratio in humilitate fundata sit, & dum anima se humiliat, à Deo exaltatur. Oportet hic procedere cum libertate, commitendo seipsum in manu Dei omnipotentis, si vellet animam exaltare ut sciat secretiora, bono accipiat animo: sin minus in minoribus inferuiat & non præsumat in altiori sedere loco. Deus maiorem de nobis habet curam, quam nosipsum de nobis, & scit quo quisque indigeat. Quid iuuat velle seruire alicui alteri, si totam nostram voluntatem Deo commisimus? Omni modo nobis datur licentia, ut ad Christi pedes stare possimus, videat unusquisque ne inde discedat; & stando Magdalenam imitetur, & sic Deus ipsum in desertum deducet. Concludendo igitur dico, simus memores qualem nobis Christus amorem demonstrauerit, relinquendo nobis eiusdem

eiusdem amoris pignus , amor enim amorem  
prouocat, quem nobis omnibus concedat, A-  
men.

## C A P . X X I I .

*In quo vitæ suæ cursum prosequitur , & tracta-  
re incipit maiorem perfectionem & quib⁹  
medijs , & est utile illis qui de gubernatione  
animatorum , quæ sunt in oratione perfecta  
tractant , ut sciant quomodo in principio  
gubernari debeant , nec non de utilitate , quæ  
prouenit ex gubernatione , qui eas bene diri-  
gere possunt.*

**R**EDEO modo ad vitæ meæ discursum de  
quo ante dicere incœperam , & credo quod  
me diutius quām par est detinuerim , in quo nō  
debebam , sed hoc feci ut melius quod sequitur  
intelligatur. Erit deinceps liber nouus , id est  
alia vita noua , & de qua hactenus dixi fuit mea;  
sed in qua vixi postea quando incœpi declarare,  
quæ ad orationem pertinent , Dominus in me  
viuebat meo quidem iudicio , cum sciam impos-  
sibile , vt tam breui temporis spacio malos meos  
mores per me relinquere potuissem. Sit De⁹ be-  
neditus qui me ab illis liberauit. Quando itaq;  
omnes præscidi malorum occasiones , atque ma-  
gis inciperem orationi vacare , Dominus mihi  
maiores concessit gratias , qui desiderare vide-  
batur , vt easdem acceptarem. Incœpit itaque  
Dominus mihi ordinariè quietis orationes con-  
cedere ,

cedere, & quandoque vnionis: quę multum durabat. Eodem tempore dubitare incœpi eo quod magnum esset delectamentum & suauitas quam sentiebam & fugere non poteram, ideoque magis dubitare cœpi quia aliquibus mulieribus factæ fuerant aliquot à Dæmonio illusiones, ego nihilominus ex altera parte magna cum fiducia cognoscebam illam à Deo procedere particula- riter in oratione remanendo ex qua melior & constantior reddebar, timebam tamen mihi per- suadendo quod Dæmonium hoc modo à me o- rationem mentalem auferre vellet, nec non per- suadendo mihi bonum esse si intellectum su- spenderem, ne passionem meditarer, aut per in- tellectum præualere possem, sed hoc videbatur mihi magis perdere, cum adhuc tunc illud non intellexerim, sed cum sua diuina Maiestas me illuminare voluit, ita quod illam deinceps non offendarem atq; cognoscerem quantum ei de- berem, tunc maximè crevit timor, ita quod ma- gna cum diligentia querere debuerim homines spirituales, vt illos interrogarem qualisnam es- set spiritualis illa oratio quam faciebam; eos- demque rogando vt me dirigerent si forsitan er- rarem, & cum eò aduenissent Patres societatis Iesu quibus multum afficiebar licet neminem noueram, sciens eorum tum in vita, tum in ora- tione procedendi modum, me indignam repu- tabam, vt cum eis loquerer, itaque in eo statu permansi, quoisque me resoluissim cum aliqua spirituali persona tractare. Defectus verò quem

O

in me

in me esse videbam effecit, ut non ita timuerim,  
& hæc est illusio diabolica, nam vt fierem bona  
me à summo separabam bono, in quo nos sum-  
mopere tentat & premit dæmonium, maximè in  
principio quando bene facere cupimus, ego ta-  
men id credere non poteram. Non enim ma-  
lignus ille noster inimicus in eo multum consi-  
dere, vt anima cum amicis Dei omnipotentis  
conuersetur in principio & medio: hinc ne me  
in hoc resoluerem omnem mihi præclusit mo-  
dum. Expectabam enim prius in me eruditio-  
nem, sicut etiam feci quando orationem inter-  
mis, & forsitan me nunquam emendasem, cum  
ex mala quadam viuendi consuetudine in malis  
me intricata conspicerem. Benedictus sit Deus  
qui me ultimo iuuit, incœpit enim timor cresce-  
re, quia crescebat oratio, in quo aliquid latere  
boni mihi videbatur; siue ingens malum, cog-  
noscebam illud fore supernaturale, cum resiste-  
re non potuerim, & quando illum habere quan-  
doque desiderabam, vt haberem, impossibile e-  
rat: hinc nullum superesse remedium cogitabam,  
& ideo studebam cōscientiam tenere mundam,  
nec non omnem peccandi fugere occasionem;  
nam si à spiritu sancti instinctu procedebat,  
magnum expectabam luctum, & si à Dæmonio  
esset, parum mihi nocere poterat, cum omni-  
mode placere Deo staderem ipsum non offendendo:  
ex quo & ipse multum perderet. Cum  
itaque me resoluerem, ac me Deo commenda-  
rem suppliciter rogando, vt me adiuuare digna-  
retur,

retur, prædicta aliquot diebus continuando, cognoui quod anima mea tantam non haberet fortitudinem, vt sine aliorum auxilio ad eam perueniret perfectionem, idq; propter alias affectiones quas circa quædam ex se non mala habebam, poterant tamen reliqua impedire, ex quorundam relatu, de quodam audieram sacerdote cuius bonitas per Dei gratiam innotescere cœperat populo, procuraui per quendam nobilis verum cui sacerdos ille bene afficiebatur, vt per illum in eius sacerdoti notitiam venirem quo illi confiteri possem, eundemque pro magistro acciperem; quem cum vidissim remansi confusa videndo eiusmodi hominem sanctum, eidemque orationis meæ modum exposui, volens ipsi confiteri: verum se excusauit propter negotia quibus impeditiebatur, & verè sic erat. Eodem tempore venit ad me visitādi causa quidam sanctissimæ vitæ nobilis, meus consanguineus, mecum maxima cum humilitate & discre-  
tione de mea tractans salute, dando mihi remedium quomodo contra dæmonium præualere eumque superare possem. Ipsum amare cœpi & anima mea tunc maiorem senti quietem quam ante, affligebar tamen cum tarlius & rarius ad me veniret. Quando meas animaduertit imperfectiones, ( licet me amendauerim) & ex altera parte illi referrem fauores mihi à Deo factos eū in finem, vt me melius instrueret, mihi dixit, quod vnum cum altero stare non posset, posteaq; tales gratiæ & fauores essent, vti dicebat, pro perfectis

O 2 & bene

& bene mortificatis , hinc non sine causa mihi timendum esse affirmabat sibi persuadens, quod non à spiritu bono aliqua procederent, quamuis non ita absolute affirmaret, & quod omnia bene perpendarem , quæ de mea oratione scirem, quodque illi omnia referrem: & hoc molestum erat cum neque parum vel multum scirem qualis nam oratio esset, cum illam mihi breui temporis spacio Deus ante concessisset. Hinc factū est, vt vltra timorem quem prius habueram etiam multum non sine lacrymis affligerer, nihil tamen aliud quærebam nisi Deo placere: & mihi persuadere non poteram Dæmonium esse, nihilominus cum scirem peccata mea esse multa timebam satis, & Deum rogabam ne me in aliquam cæcitarem incidere permitteret, ex eo quod non scirem quidnam esset. Voluendo itaque quosdam libros, quærebam quomodo meā orationem describere deberem , & forte fortuitò reperi quendam librum , qui vocatur Saltus montis, in quo legi quæ ad vñionem animæ cum Deo pertinent, & omnia eius signa quæ habueram: & quando in illa etam oratione ad alia mentem meam dirigere non poteram , ea conscribendo ex eo libro quædam signa, & sacerdoti prædicto & nobili tradidi , vt viderent, quid factò opus esset, quidque ad hoc dicerent. Et si ipsis ita visum fuisset penitus orationem intermissem. Nam ad quid me subjcere eiustmodi periculo debuisssem , si tempore viginti annorū quo me orationi dedi nihil fuerim lucrata, dato quod

quod esset illusio diabolica? Itaque minus malum videbatur illam intermittere , quamuis & hoc mihi videretur absurdum , cum scirem in quo statu anima mea ante orationem fuerit. Hinc vnde mihi molestia , non secus atque illi, qui in flumine existens periculoso hinc inde circumspiciens euadendi modum non videt, qui submergi debeat. Est sane molestia illa gravissima in qua quam plurimos reperi , sicuti in sequentibus dicam, id quod referre, forsitan parum ad propositum videbitur, nihilominus meminisse aliquando iuuabit , ut spiritus probentur. Magna hic sentitur molestia , vnde bonum iudicium est maximè necessarium præsertim mulieribus, si alioqui sint debiles, possunt enim inde aliqua euenire mala, dicendo opus Diabolicum esse: paulo maturius est considerandum & periculum fugiendum quod inde euenire posset: & secretius in hoc est procedendum, quia multa si secus fiat inconuenientia sequi possunt, prout mihi accidit, nam cum quibusdam confiendo maximi damni hoc occasionem ptaebuit. Quia postquam quædam fuerūt publicata, quæ si secreta remansissent melius fuisset, cum sint eiusmodi, quæ ab omnibus non intelliguntur, vnde ab aliquibus iudicabar me illa publicasse. Credo vtique id factum fuisse sine illorum culpa, vt ego inde Deo permittente affligerer. Non dico quod publicauerint, quæ in confessione cum illis tractauit: sed cum tales essent personæ quibus ex nimio timore de meipsa ratione

dederam in eum finem, ut me instruerent, illud tacere debuissent. Et ideo dico ut in similibus cum discretione procedant: dando ipsis animū, utque tempus expeſtent, Dominus enim illos suo tempore adiuuabit sicuti & mihi accidit. Cū itaque ipsis librum tradidisse, vna cum totius vitæ meæ informatione, meorumq; peccatorum, meliori quo poteram modo, non tam per viam confessionis, cum vnuſ illorum esse ſecularis, ſed ſolum maniſtando quanto-pere eſſem peccatrix, utque illi ex charitate & amore conſiderarent quid mihi conueniret. Interim dum expeſto reſponſum, me quamplurimiſ commendaui, rogado vt pro me apud Deum intercederent & pro me orarent, & tandem ſecūdum eorum iudicium reſponſum fuit, eſſe opus diabolicum, quodque de hoc negotio deberem tractare cum quodam Patre Societatis Iesu, qui ſi vocaretur libēter accederet, & quod eidem per confessionem generalem clarè omnē vitæ meæ rationem exponerem mediante ſacramento pœnitentiæ, vt eo modo Dominus Deus me illuminare dignaretur. Hinc magnū concœpit morem & pœnam ita ut quo me verterem nesciuerim, hinc mihi lacrymæ die ac nocte. Quodam die manendo in oratorio admodum afflitta, nesciens quid de me futurum eſſet in quodam legi libro (qui mihi ſicuti videbatur de manu Domini offerebatur) illud Apostoli, fidelis Deus, qui non patietur vſtenari vltra quod potestis, & quod nunquam illos

a dia-

à diabolo superari vel decipi permittet Deus, qui illum in veritate amant, ex qua lectione magna habui consolationem. Itaque meam confessionem generalem tractare incœpi & distinctè meliori quo poteram modo omnem vitæ meæ cursum nihil omittendo in scriptis comprehendere. Quo facto multa conspexi mala quæ commiseram, & nullum bonum quod feceram; hinc ingens dolor me inuasit magnaq; afflictio, pœna etiam exinde augebatur vidēdo alias moniales cum personis sanctis cōuersari. Tractando itaque cum meo confessario, me confortando apertè affirmauit spiritum Dei bonum esse, quodque de nouo me deberem orationi date, quodq; adhuc nō essem bene fundata neq; mortificata, & ita erat, quia neque nomen mortificationis intelligebam, quodque constanter agerem ex quo mihi Dominus eiusmodi fauorem & gratiam concessisset. Et quis ( inquit ) scit si Dominus per te velit multarum animarum lucrari salutem? Et multa alia spiritu propheticō prædixit, quæ postea euenerunt, ac me culpandam fore si gratię mihi à Deo concessæ non correspondarem. Videbatur spiritus sanctus per eum loqui quò anima mea saluari posset. Inter cætera voluit vt singulis diebus orationem facerem circa aliquam partem passionis Christi, quodque aliud non cogitarem quam Christi humanitatem, vnde multum consolabar & confortabar. Et sic Dominus eundem illuminare dignatus est, vt meam cōditionem cognosceret

O 4 & mo-

& modum; quo me gubernare deberem, præscriberet, & mansi resoluta, nihil eorum omitto, quæ mihi dicebat. Sit Dominus benedictus in æternum.

## C A P. X X I V.

*In quo prosequitur materiam præcedentem, & dicit quomodo eius anima paulatim proficerit postquam incœpit obedire, & quam parum iuuerit gratiæ Dei resistere, & quomodo sua Maiestas paulatim maiorem illi concesserit.*

**R**E MANSIT ex ista confessione anima mea ita docilis, ut nihi fuerit tam arduū ad quod respondere non potuerim; hinc magnam in aliquibus feci mutationem, licet Confessarius me ad illa non astrinxerit, & sic illa potius ex amore Dei perficiebam. Duobus mensibus diuino fauori & gratiæ in quantum potui restiti. Et quoad exteriora, magna in me videbatur mutatio: nonnulla enim per Dei gratiam operabar, quæ erant extrema, vt aliqui, qui in eadem etat domo affirmabant, respectu eorum, quæ ante faciebam. Bene quidem extremitatem quandam esse iudicabant, licet adhuc meæ religioni & professioni non corresponderent.

Acquisiui in eiusmodi diuino fauore magnā Dei notitiam & quanto magis ab illo fauore divertere me volebam eo maiorem suavitatem & gloriam sentiebam, ita quod effugere non potuerim.

tuerim. De nouo maiorem incœpi habere amorem circa Christi humanitatem , & orationes crescebant : sicut ædificium cuius fundamen-tum bene positum est : augebatur præterea affe-ctus circa pœnitentiam , de qua prius propter magnam infirmitatem parum cogitaueram. Præ-cœpit mihi meus Confessarius, vt facerem ali-quas mortificationes gustui meo non admodum gratas , quas tamen faciebam tanquam mihi à Domino impositas. Anima mea tunc minimas incœpit fugere in Deum offensas , ita quod si quid superflui mihi esset quiescere non potue-rim quo usq; illud derelinquerem. Summo cum fero uore Deum rogabam ne me retrogredi per-mitteret, pro maximo enim peccato mihi repu-tatum hoc fuisset: maximè cum tractauerim cū eiusmodi pijs & sanctis viris , eorum enim inde reputatio & existimatio diminuta fuisset. Adue-nit eodē tempore quidam P. Franciscus Borgias, qui fuerat Candia Dux, qui omnia relinquendo ingressus erat Societatem Iesu. Meus confessa-rius nec non quidam nobiles dignitatis eque-stris procurauerunt, vt mecum loqueretur, vtq; illi orationis meæ rationem & modum referrem; in ipsa enim multum profecerat , & ideo Deo charus erat, cumq; omnia propter Deum reli-querit voluit eundem etiam in hac vita remu-narare. Postquam orationis meæ rationem à me intellexisset, affirmauit Spiritum Dei esse, quod-que eidem resistendo non bene facerem, quod-que me Deo commendarem: & resistendo erro-

O s rem

rem magnum committerem. Remasi admodum bene consolata vna cum isto nobili, intelligendo omnia ista à Deo prouenire. Eodem tempore fuit mutatus meus Confessarius de quo multum dolebam, dubitando quod alium sibi similem non inuenirem. Sed à quadam mea consanguinea deducta fui ad alium, cui illa confiteri solet, qui me in maiori constituit perfectione. Dicebat ne quicquam prætermitterem quominus Deo complacere studerem, idque cum quadam modestia & gratia dicebat: cum anima mea tunc adhuc non fuerit ita fortis & constans; imo adhuc admodum debilis, in relinquendo aliquas conuersationes & amicitias, licet in illis Deum nō offendere, nihilominus per illas multum aliquibus bene afficiebar, & videbatur in gratitudini tribuendum illas relinquere, & sic meo confessario dicebam, scilicet, **Quare** deberem eas vitare, cum in illis conuersationibus Deus non offenderetur? & quare voleram ingrata iudicari? Circa hanc materiam voluit vt per aliquot dies me Deo commendarem, dicendo hymnum (*Veni creator spiritus*) quò Deus mihi inspirare dignaretur quod melius foret pro salute animæ meæ. Cum itaque per aliquot dies in oratione permansisem, & supplicando S. Maiestati, vt mihi gratiam contribuere dignaretur, quatenus in omnibus & per omnia illi complacere possem, hymnum prædictum dicere incœpi, & ex improviso eugenit mihi huiusmodi raptus, vt extra meipsum esse

esse viderer, ita vt nullo modo dubitauerim quin à Deo prouenerit, quia fuit manifestus; & fuit primus, in quo hæc verba audiui, ô anima nolo vt in posterum cum hominibus habeas cōuersationem, sed cum Angelis. Ex quibus verbis multum ex pauescebam, quia anima mea admodum commouebatur, verum ab altera parte consolabat̄ r̄bi timor abcescerat, & ab illo tempore non potui cum aliquo conuersari, nisi scire illum verè Deum amare, & illi inferuire atque de oratione tractare, licet amici mei essent, aut parentes, secus faciendo multum affligebar, sit Dominus in æternum benedictus, Amen.

## C A P. XXV.

*In quo describitur modus, quo Deus cum anima loquitur, licet non audiatur, & refert aliquot illusiones, quæ hic fieri possunt, & quomodo cognoscantur quando fiunt, & est materia admodum utilis, qui ad hunc orationis gradum peruererunt, & optimè declaratur, & in se magnam continet dociri-nam.*

**V**I D E T V R admodum fore consultum hic declarare modum, quo Deus cum anima loquitur, nec non & illud quod tunc sentitur, vt S. Reuerentia bene percipiat: quia sunt certa verba optimè formata; sed aurib⁹ corporeis nō audiuntur, nihilominus multò clarius percipiuntur, quam si auribus corporis audirentur, & frustra.

frustra quis resistit illa audire nolens. Quando auribus corporeis audire nolumus, aures obturamus, vel alia cogitando mente digredimur, ut etiam audiendo non intelligatur, quod dicitur. Verum quando Deus cum anima loquitur nullum est remedium, sed licet interius sentiat, & faciat ut sit attenta, & intellectus remaneat liber, vult Deus ut intelligamus, quia in nobis non est id velle, aut nolle, quia ipse qui omnia potest, & vult, ut intelligamus, utque facere debeamus quod vult & demonstrat, quod ipse noster verus sit Dominus. Hoc multoties sum experita, quia duobus fere annis conata sum facere resistentiam, sed frustra: in causa fuit timor, & modo si idem tento nihil iuuat. Cuperem declarare illusiones, quæ hic euenire possent, quāuis pro personis expertis nulla sit, aut esse possit, sed necesse est ut magnam habeat experientiam. Et scire debet esse differentiam inter bonum & malum spiritum, & quod possit esse apprehēsio ab intellectu, & etiam ut idem spiritus sibi ipsi loquatur, sed quomodo id esse possit ignoro, sed etiam hodie secundum illud, quod mihi accidit videtur euenire posse. Quando est à Deo habet in multis reb<sup>o</sup> quamplurimas probationes, quæ mihi ante tres, aut quatuor annos referebantur, & in præsens usque tempus ita comperi, & nullum in aliqua re inueni subesse falsum, nam vidi quædam signa quibus probatur, quod sit spiritus Dei bonus, sicuti postea dicemus. Videtur quod dum quis negotium aliquod magno cum affectu

affeetu, & apprehensione Deo cōmendat, pos-  
sit intelligere si id debeat facere vel nō; & est fa-  
cillimum, licet etiam per aliam viam intelle-  
xit, tamen clarē videbit id quod est, & magna est  
differentia in vno intelligendi modo & alio, &  
si est aliquid ab intellectu formatum, sit delica-  
tus quantum velit, intelliget, quod sibi aliquid  
ordinat, quodque ipsi loquatur: id quod aliud  
non est, nisi vt si quis ordinaret sermocinatio-  
nem & ita auscultaret, vt aliis sibi id diceret,  
tunc videbit intellectus quod ad id non atten-  
dit, quia operatur, & verba quae format sunt in  
modum alicuius rei surdæ & fantasticæ, & non  
habent illam claritatem sicuti alia verba. Præ-  
terea in isto loquendi modo non est in potestate  
nostra vt digrediamur, sicut in alio loquendi  
modo: sicut & tacere quando ratiocinamur. Est  
& aliud signum maius, & est non operari, quia  
in alio loquendi modo in quo loquitur Domi-  
nus, sunt verba & opera & licet non sint deuo-  
tionis verba, imò reprehensionis, nihilominus  
statim animam disponunt, habilem reddunt  
& terrimam, lumen adferunt, consolationē  
& quietem, & si prius erat arida, inquieta &  
turbata omnia illa auferuntur: & etiam multò  
melius cognoscit, quam potens sit Deus, & quo-  
modo ipsius verba sunt opera, si alioqui ita velit.  
Ulterius mihi videtur quod adhuc alia sit diffe-  
rentia, quasi si nos non magis nec minus lo-  
queremur & audiremus, nam quod loquor per  
intellectum ordinatur, si vero alijs mecum lo-  
quunt-

quuntur , aliud non facio quam sine labore lo-  
quentem auscultare, in vno non bene determi-  
nare possumus , non secus atque si dormitare-  
mus, in alio verò vox est ita clara vt ne syllaba  
quidem perdatur, ex eo quod dicitur : & quan-  
doque id eo tempore contingit, cum anima ita  
est turbata & distracta, vt ne vnum quidem con-  
ceptum formare possit, præterea tot inuenit ac-  
commodos conceptus & magni mometi sen-  
tentias, quæ animæ dicuntur quas licet aliâs el-  
set attenta, eo pertingere non posset, & ad pri-  
mum verbum quod audit omnino mutatur, ma-  
ximè si est in raptu : & potentia remanent su-  
spensæ, & illa tunc intelligit, quæ prius nunquâ  
in eius memoriam venerant , & tunc maxime  
quando anima vix operatur: & imaginatio quasi  
omnino absorpta remanet. Scire præterea debe-  
mus quando eueniunt visiones , vel si verba ista  
intelliguntur, nunquam istud meo quidem iu-  
dicio succedit, quando anima remanet vnta in  
eodem raptu; quia eodem tempore (sicut decla-  
raui superius de secunda aqua) de facto perdunt  
omnes potentia & vt mihi videtur, hic non po-  
test quis audire , nec videre aut intelligere; &  
se totam tunc in alterius potestate constitu-  
tam videt, nec permittit Dominus vt anima ab  
alio distrahatur: quo facto , anima in rapture-  
manendo, potentia ita remanent, vt, licet non  
perdantur, nihil tamen operantur, sed remanet  
quasi essent absorptæ & inhabiles ad forman-  
dum aliquem discursum. Itaque diuersi sunt  
modi

modi quibus hęc differentia cognosci potest, ita  
vt casu quo anima semel fuerit decepta, non diu  
ita remanebit, nā si fuerit exercitata clare illu-  
sionem animaduertet: nullum enim operabitur  
effectum, nec anima illum loquendi modum  
acceptabit, alius enim loquendi modus ef-  
fectum operatur, licet nos resistamus, neque  
illi creditur cum sentiatur quandam intellectus  
esse diuagationem: sicuti si loqueretur persona  
quædam frenetica, cui fides non adhibetur: cum  
talis esse cognoscitur: secus verò fieret si loque-  
reretur sanctus quispiam, deuotus, doctus & ma-  
gnæ authoritatis, quem scimus non mentiri  
quamuis & hęc comparatio sit insufficiens. Illa  
autem verba quandoque tantæ sunt Maiestatis,  
vt si alioqui sint reprehensiua faciunt animam  
tremere, si verò sunt charitatiua faciunt animam  
ex amore langescere: si verò fuerint talia, vt  
longè à nostra fuerint memoria, & dicantur ex  
improuiso sententiæ admodum mysteriosæ, vt  
necessarium fuisset multum insumere temporis  
vt excogitatentur & in ordinem redigerentur,  
vt nullo modo dubitandum sit illas non esse ex  
nobis, tum non erit aliqua illusio in persona ex-  
ercitata, si alioqui studiose decipi non velit.

Postea verò facit Dominus vt eius memoria  
ita in nobis remaneat, vt obliuisci non possit,  
cum illud eo instanti semper impleri non possit:  
verum quod ex intellectu prouenit est in mo-  
dum primi motus nostrarum cogitationū, quod  
statim præterit & obliuiscitur. Aliud verò est  
prout opus aliquod, cuius si aliquid obliuioni  
detur,

detur, & aliquantulum intercedit temporis, non tamen eius memoria omnino perditur, maxime si ad prophetiam spectat, in eo enim (meo quidem iudicio) non cadit obliuio, in me ad minus ita est licet mea non multum præualeat memoria. In hoc loquendi modo anima remanet instructa sine eo quod aliquod perdatur tempus, & eiusmodi intelligit, ut si quis per unius mensis spaciū ea componere & in ordinem redigere studuisse, nihil tale efficere potuisset, ita ut intellectus & anima inde remaneant stupefacta dum eiusmodi percipiunt. Hac ita sese habent & qui sunt experti fidem facere poterunt. Benedictus sit Dominus, quod hæc ita declarare potuerim. Concludo igitur quod unusquisque facile intelligere poterit faciendo orationes, num loquendi modus ab intellectu proueniat, vel à Deo. Si est ab intellectu non intelliget licet velit, si à Deo facillime intelliget licet nolit. Vnde iudico facilè sciri posse, quando quis alium decipere vellet, dicendo se hoc à Deo audiuisse quod à se habet, vel auribus corporeis ab alijs audiuit, hoc enim facilè fieri posset. Itaque quantum ad me nunquam credidisse alium audiendi & intelligendi modum inueniri potuisse, nisi in me experta essem, idque non sine magno labore. Quando vero à Demonio prouenit, non tantum non relinquit in anima effectus bonos sed malos, & hoc mihi bis vel ter accidit, verum statim à Domino admonitus, qualiter à Demonio proueniret, & ego ipsa bene

bene ex magna ariditate , quæ in anima mea remansit animaduertere potui, nec non ex animæ meæ inquietudine : ita quod permittente Deo grauissimas quandoque passa sim tentationes, & diuersas molestias: nec non tormenta diabolica sicuti postea dicam. Existimo quidem verum esse , quando aliquis gustum & delectationem sentit, illam ab alia differentem esse. Dæmoniū enim facile decipere posset per eiusmodi gustū, qui nunquam à Deo gustum habuerunt. Gustum dico ego verum, recreationem scilicet suauem,fortem, constantem,delectabilem & quietam,verum aliquales animæ deuotiones paruas, nec non motus paruos , & eiusmodi flosculos non voco deuotionem , licet boni sint , & sancta principia: quia dum aliqualem sentiunt persecutionem facile perduntur: & non sunt sufficietes ad determinandum , si effectus sint à bono vel maligno spiritu : quia cum magna animaduertentia procedere oportet: quia facilimè decipi possunt, si alioqui illis visiones & reuelationes euenirent. Ego nunquam eiusmodi habui, vnica via exceptaante aliquot annos quando Christum vidi , & suæ Maiestati placuit, vt cognoscerem veram fuisse visionem: nisi postquam Dominus ex immensa sua bonitate mihi vnionis orationem concessisset. Quando est à Dæmonio nulla in anima remanet dulcedo , sed magna displicentia & timor. Firmiter teneo quod Dæmonium nullam vñquam poterit decipere animam , quæ in nulla re de seipsa confidit:&

P

dit:&amp;

dit: & est in fide bene fundata, cum proposito velle potius millies mori quam in minimo dubitare, eiusmodi animæ Deus veram infundit fidem & viuam & fortam, ut nullo modo recedat ab eo quod tenet sancta mater Ecclesia, licet habeat nefcio quas reuelationes.

Quando vero est dæmonium, omnia bona sese abscondunt, & anima inquieta manet sine aliquo effectu bono, & quamvis aliqua sint desideria bona, sibi non constant, estq; in illis humilitas falsa sine aliqua suavitate, vnde qui habet aliqualem experientiam facile cognoscere poterit si spiritus bonus sit. Attamen dæmonium multas facere potest illusiones, sicuti mihi accidit. Erat enim simul quamplurimi quib; cōfidebā idq; non sine ratione, licet tantum cum uno tractarem, qui in gratiam mei etiam alios consulebat: & erant illorum quinque vel sex in timore Domini & ministerio satis fundati, qui unanimiter omnes prout referebat mihi meus confessarius, concludebat spiritum malignum esse, qui cum anima mea loqueretur: ego vero vt quæ vehementer timebam, videndo omnes hanc habere opinionem, sola manere non audebam, persuadēdo in me paruam esse humilitatem, si illis non crederem, cum me essent meliores & doctiores: & vt crederem spiritum malignū esse me cogebant, & sic cum magna confusione & afflictione ab Ecclesia discessi, & ingressa quoddam oratorium, à communione remansi priuata aliquot diebus: & cum solitudo mihi esset

esse interdicta in qua multum confortabar, non habebam, cum quo tractarem, omnes enim mihi contrarij erant: & nonnulli me irridebant, quādo de eo tractabam, quasi ita somnicissem, alij verò malo cōfessario dicebant, vt sibi de me caueret: nonnulli apertè dicebant dæmonium esse, solus meū confessarius, licet cum alijs sentiret, me consolabatur & dicebat, dato quod dæmonium esset, non offendendo Deum, nihil nocere posse, quodque liberarer, & Deum instanter rogarem, atque omnes, qui eidem confitebantur, idem facerent, & hoc duobus annis durauit, & nullam inueniebam consolationem, considerando fore possibile, vt dæmonium toutes mihi fuisset locutum. Cum itaque quodam tempore sola essem, non habendo quo cum conuersarer, cumque non potuerim dicere officium, neque legere, sed remanendo omnino attonita ex eiusmodi tribulationibus, & timendo ne à dæmonio illuderer, remāsi inquieta & perturbata, ita vt quo me vertere deberem nesciuerim. In eiusmodi afflictione fui quandoque per tres vel quatuor horas sine aliqua consolatione; sic enim permisit Dominus idque non sine magno periculo. O Domine, tu qui es verus amicus & potens, & quando vis, potes, te laudent omnes creaturæ tuæ; parum enim illos pati permittis qui te amant, & videtur quod qui te amant cum rigore illos probas, vt in extremitate constituti, extremum tuum amorem eo magis cognoscant, ô Domine Deus, si quis haberet

P 2 — intel-

intellectum & doctrinam, & noua possit concipere verba ad magnificandum operatua: eo in modo ut anima mea ea cognoscit. Omnia mihi deficiunt ô Domine, verum si tu à me non deficeris neq; ego à te deficiam. Veniant contra me omnes docti, persequantur me omnes creaturæ: omnia tormenta Diabolica, ô Domine si tu à me non deficis, ex utilitate enim habeo experientiam, qua eos qui in te confidunt liberas. Cum itaque in tanta esse perturbatione, non adhuc habueram aliquam visionem, solum hæc verba sufficiebant, ut ex omnibus liberarer angustijs, quæ hæc fuerunt.

*Noli timere filia, quia ego sum, & te non derelinquam. Noli timere.*

Videbatur multum temporis requiri debere, ut quietarer, & ad hoc nihil sufficere posse videbatur, verum ex prædictis verbis, maximam sensi consolationem, quietem & animi constantiam: magna cū securitate, & illuminatione: & in instanti vidi animam meam in aliam mutantam, & mihi videtur, quod tunc cum toto mundo disputare ausa fuissim, affirmando Spiritum Dei esse. O quam bonus est Dominus & potens, non enim tantum dat consilium, verum etiam adhibet remedium, eius namque verba sunt opera. O quomodo fides stabilitur & amor crescit, & ita verè est, memineram aliquoties quod imperando ventis, cessauerint nec non tempestates, & quis est dicebam ego, cui venti & mare obe-

obedient? Cor meum quod prius durius saxo  
erat planè per suauissimas lacrymas mutatum  
fuit, & dicere incœpi. Quis est, qui bona in-  
fundit desideria? Quis eiusmodi præbet ani-  
mum? Quæ & vnde mihi tales cogitationes  
proueniūt? Ad quid & de quo mihi timeo? De-  
sidero enim Domino inferuire. Aliud non co-  
gito quām vt eum mihi placabilem reddam.  
Quietem hic non desidero, sed neque aliud bo-  
num, quam secundum eius voluntatem facere,  
in quo constans remanebam, vt id affirmare po-  
tuerim. Dicebam itaque, si Dominus est potius,  
sicuti verè scio & video, quodque dæmones  
eius sint mancipia, de quo nullum est dubium,  
cum sit res fidei; cumque ego similius Domini  
& omnipotentis Regis famula, quid mali mihi  
inferre poterunt? Et quare non etiam mihi mi-  
nistrabit vires contra infernum pugnandi? Ar-  
ripiebam tum in manibus crucem, & Dñs talem  
mihi præbuit animam, vt breui temporis spacio  
me inuenerim mutatam, ita quod cum omnibus  
dæmonibus pugnare ausa fuisset, & mihi facil-  
limum videbatur eosdem per virtutem sanctæ  
crucis superare, & ex illa hora remansi quieta &  
sine illorum timore. Faciat sua diuina Maiestas,  
vt eum timeamus quem timere debemus: & cla-  
re intelligimus quod nobis maius poterit ex uno  
peccato veniali prouenire malum, quām à toto  
inferno simul, cum ita sit in veritate. Sit Deus  
benedictus, qui suum mihi præsttit auxilium &  
gratiam, Amen.

## C A P . X X V I .

*In quo eandem prosequitur materiam , & declarat quo medio timorem perdiderit , & affirmat quod fuerit Spiritus bonus , qui ei loquebatur .*

**M**A G N A sanè Dei est gratia , quam mihi contra Dæmones tribuit Dominus , nam quando anima alium habet timorem , quā milium quo timet Deum offendere maximum est inconueniens , posteaquam habemus Regem omnipotentem , & Dominum qui cuncta regit & gubernat , vnde non est quod timeat , si aliqui in veritate coram sua Maiestate diuina in via Domini ambulat , idque cum pura conscientia . In hunc effectum desidero ut omnes illum timeant , qui in vnico momento nos annihilare potest . Si enim suæ Maiestati placemus , non est qui contra nos quicquam audeat . Sed quæ ( dicit aliquis , ) erit anima tam recta , vt plane in omnibus placeat Deo , & non habeat vnde sibi timeat ? Mea vtique talis non est cum sit misera , miserij que plena . Sed Deus perficit , quod homo propter suam debilitatem facere non potest & aliquoties per coniecturam sentit anima in seipsa si verè amat Deum , quia in illis , qui ad hunc statum peruerterunt amor cum dissimulatione non procedit , vt in principio : sed est magno cum impetu & desiderio videndi Deum sicuti dixi & adhuc dicam : & omnia ipsam animam affligunt si talia sunt , quæ ad Dei amorem

non

non spectant , nec quiescit vidento se ipsam longè à sua vera quiete , & sic verum est quod nō dissimulat . Quodam tempore accidit , cum essem in maxima tribulatione , in quodam negotio de me murmurando , vbi tunc Dominus mihi dixit .

*De quo times , non scis tu quod ego sum omnipotens , ego adimplebo omnia quae tibi promisi .*

Et sic etiam postea factum est , remansi tum tanta cum constantia , vt etiam maiora fuisset aggressa , quò Deo inseruire potuisse . Hoc militoties accidit , vt non possim omnia referre . Quandoque me reprehendit Dominus sicut & nunc sèpius , quando aliquam committo imperfectionem , & tales eius sunt reprehensiones , vt sufficere possunt ad animam consumendum , & magnam secum adferunt emendationem , cum sua Maiestas porrigit consilium simul & remedium , Dominus quandoque in meam reducit memoriam præterita mea peccata , & maximè tunc quando singularem aliquam gratiam sua Maiestas mihi concedere dignatur . Videlur quod tunc anima seipsum in vero inueniat iudicio constitutam ; quia ipsa veritas cognitione clarissima sese eo modo repræsentat , vt nesciat quo se vertere debeat . Quandoque etiam mea aliorumque prædixit mihi pericula , quæ post tres vel quatuor annos acciderunt , id quod testificari possunt quibus successerunt . Multa ita-

que sunt signa quibus clare constare potest quod sit spiritus Dei. Securior via est (quam etiam seruo, & nisi ita procederem inquieta remanerem, & sic faciendo bonum est maximè pro mulieribus, ita ut nullum timendum sit damnum, sicuti aliquoties mihi Dominus dixit,) ut animam nostram & gratias quas nobis Dominus concedit manifestemus nostro confessario, idq; sepius modo sit doctus. Habebam confessarium, qui me multum mortificabat, & hoc mihi profuit: licet aliquoties inde affligerer, & mihi molestum esset; & licet illum amorem, nihilominus derelinquere cogitabam, & tunc quādam in me sentiebam reprehensionem, ex qua magis affligebar, quam ex omnibus alijs, quæ mihi confessarius fecerat. Quadam vice dixit mihi Dominus, veram non esse obedientiam: si aliqui ad patiendum non essem resoluta, quodq; cogitarem, quænam pro me passus esset: nam eo modo omnia facilia videbuntur. Consilium mihi dederat Confessarius, cui à principio confitebar, consultius in posterum tacere, cum iam clarum esset spiritum bonum esse, qui cum anima mea loquebatur, quod etiam mihi bonum videbatur, sentiebam enim maiorem pœnam & verecundiam referendo confessori meo gratias à Deo mihi concessas, quam habebam confitendo grauissima mea peccata, maximè quando eiusmodi fauores & gratiæ magnæ erant: persuadebam enim mihi quod illas referendo non crederent & potius irriderent. Et sic libentius tacui.

tacuisse. Cognoui postea illud Confessarij mei consilium non fuisse bonum, & quod nihil illi celare debuerim, in eo magnam inueniendo securitatem, quia aliter faciendo decipi aliquoties & illudi poteram. Quotiescunque Dominus in oratione aliquid præciperet, & confessarius aliter vellet, ad Dominum reuertens mihi mandauit quatenus Confessario obedirem: cum quo sua Maiestas effecit, ut idem mihi mādaret quod Dominus mihi prius præceperat. Quando iam prohiberentur multi libri in lingua vulgari, ne legerentur: magnam sentij pœnam, cum fuerint aliqui ex quorum lectione maximam solebam accipere consolationem & recreationem: & concedent libros latinè impressos intelligere non poteram, mihi tunc dixit Dominus,

*Noli molestari, quia tibi dabo librum viuum.*

Tunc autem percipere non poteram quare hoc mihi diceretur, non enim adhuc habueram visiones alias, verum post paucos inde dies optimè sciui, multum namque laboravi, ut me ipsam in eum dirigerem quem præsentem videbam, & tantum in me amorem ostendit, & diuersis modis me docuit, vt illis libris non indigerim, sua enim Maiestas fuit verus liber in quo ipsam vidi veritatem. Benedictus sit liber iste, qui in me impressum reliquit quod legere debebam, & effecit, vt, quod in eo legitur obliuioni tradi non possit. Et quis est qui videbit Dominum plagis & vulneribus plenum & ex

P S per-

persecutionibus afflictum, & non illum ample-  
xabitur, amabit & desiderabit? Nec non qui vi-  
dit gloriam, quam dat illis, qui ei inseruiunt, &  
scit quām parum sit aut nihil illud quod nos fa-  
cere possumus, aut pro ipso pati, & insuper vi-  
det damnatorum pœnas, huius mundi tormen-  
ta omnia excedentes, ex quibus seipsum libera-  
tum videt, & quis est qui non cognoscit seip-  
sum, quām maximē obligatum? Modo vltterius  
progrediemur, quia magis distinctè de vitæ meæ  
discursu dicemus, faxit Deus vt quæ iam dicta  
sunt clarè intelligentur, intelliget autem & vi-  
debit, quod veritatem dico, si alioqui aliqua-  
lem habuerit experientiam. Qui verò non in-  
telligit non mirabor si omnia stulta esse iudica-  
uerit. Sufficit mihi vthoc dicam, vt sine culpa  
remaneam; nec illum reprehendam qui hoc di-  
cit. Dominus me diuinare permittet, vt eius vo-  
luntatem adimplere possim.

## C A P. XXVII.

*In qua tractatur de alio modo, quo Deus ani-  
mam instruit, & sine eo quod loquitur, fa-  
cit modo quodam admirabili, ut eius intel-  
ligatur voluntas. Tractat præterea decla-  
rando quandam visionem, & gratiam sibi  
à Domino factam, & est hoc capitulum no-  
tatu dignum.*

**R**EDEVNDO modo ad vitæ meæ discursum,  
dico qualiter in illa afflictione & pœna,  
plu-

pluribus orationibus instando, quas etiam alij  
pro me fundebant, vt Dominus per aliam viam  
securiorem me dederet, cum hæc vti dicebāt  
videretur periculis plena, aliquamdiu perman-  
serim. Verum quidem est, quod quantumlibet  
ego non rogauerim Deum, vt per aliam viam  
me dederet, aliam desiderando, videndo me  
circa animam meam meliorem, exceptis aliqui-  
bus vicibus quando me videbam molestari ex  
his quæ mihi dicebantur, idque ex timore quæ  
mihi proponebant: attamen in mea non erat  
potestate illud desiderare. Videbam me prorsus  
in aliam mutatam, & non poteram non me to-  
tam Deo committere, qui nouerat quid mihi  
conueniret: & hoc erat vt suam in me adimple-  
ret voluntatem. Videbam me per hanc in cœ-  
lum tendere viam, vbi per aliam ad infernum  
descendissem. Mihi persuadere non potui dæ-  
monium esse, licet fecerim quantum potuerim,  
nam illud bonum, licet exiguum, Domino ob-  
tuli, & ideo nonnullos inuocaui sanctos, vt per  
illorum intercessionem liberarer. Hinc per  
duos annos vna cum multis alijs orationem cō-  
tinuabam, vt veritatem declararet, frequenter  
enim accidit vt Domin⁹ mihi loqueretur. Quo-  
dam die in dedicatione Sancti Petri Apostoli dū  
essem in oratione videbam, sed vt melius dicam  
sentiebam postquam neque oculis corporis,  
aut animæ aliquid viderim, videtur mihi quod  
apud me staret Dominus Iesus Christus & vide-  
batur quod ipsemet esset, qui mihi loquebatur.

Ego

Ego cùm non scirem de eiusmodi visionibus, intantum in principio timui, vt aliud non fecerim quām lacrymari; nihilominus postea more solito remansi quieta & cum magna delectatione & sine timore. Videbatur quod Dominus Iesus Christus semper à latere iret, & cum non esset visio imaginatiua, non videbam in qua forma. Sed clarissime sentij, quod ad latus dextrum staret, statim meum adiui confessarium vt illi hoc referrem. Rogauit me in qua forma ipsum vidi sem, respondi quod non viderim. Quomodo igitur (inquit) scis fuisse Christum? Respōdi quod nesciuierim quomodo, sed quod prætermittere non poteram, quin intellexerim ipsum à latere fuisse, quodque ipsum clare sentiuierim & cognouerim. Et anima mea stabat magis attenta, quām in oratione quietis, & erat illa attentio magis continua, & effectus multum diuersi ab alijs quos aliquando solebam in me sentire, & erat res admodum clara. Et aliud nil faciebam, quām vt per aliquam similitudinem intelligeret hanc visionem, sed nihil ad propositum faciebat, quæ cum sit ex sublimioribus sicuti mihi retulit quidam pius & doctus nomine Frater Petrus de Alcantara de quo postea dicam, & idem multi alij dixerunt, ita inter omnes est tantę altitudinis, vt diabolus se hic intromittere non valeat, & sic etiam neque in hac vita est modus, vt exprimi possit: cum & ego parum sciam, verum doctiores id melius exprimere & declarare poterunt, hinc est vt dicam quod neq; oculis

oculis corporis, aut animæ ipsum viderim, quia non est visio imaginativa ut intelligo, & confirmo quod fuerit tamē apud me, & maiori cum claritate quam si oculis corporeis ipsum vidissim, se enim animæ repræsentat per certam notitiam sole clariorem. Non dico quod videatur sol, vel claritas, sed lux quædam, quæ sine eo quod lux videtur, intellectum illuminat, ut anima tanto fruatur bono. Secum multa adfert bona, & non est sicuti Dei præsentia, quæ sentitur saepius in illis specialiter, qui habent gratiam orationis, vñionis & quietis, quia tunc inuenimus cum quo loquimur, volendo facere orationem, & videtur nos intelligere quod audiatur, idque per effectus & sensus spirituales, quod de fide sentimus, nec non de magno amore & aliis resolutionibus idque cum teneritudine. Hæc gratia est à Deo, & illam habeat in magna aestimatione, qui illā à sua diuina Maiestate recepit, quia illa oratio est admodum sublimis: sed non est visio, per quā intelligitur quod ibi sit Deus, per effectus sicut facit in anima, sed in hac clare videtur esse Iesus Christus filius virginis. In alio orationis modo, aliquæ diuinitatis influentiæ repræsentantur, & in hac simul cum altera videatur quod etiam sanctissima Christi humanitas gratiam facere velit. Rogabat me meus Confessorius, qui suam mihi dixerit quod fuerit Iesus Christus. Respondi, quod ipse met mihi saepius dixerit, & antequam mihi diceret, in meo impressit intellectu quod ipse esset: cum sit quod mihi

mihi saepius ab ipso dictum fuisset, ipsum non  
videndo, & in isto actu, de quo dico, sine eo  
quod videatur, imprimatur, per notitiam ita cl-  
ram, ut nullo modo sit dubitandum, cum velit  
Dominus, ut in nostro intellectu impressus re-  
maneat, ita ut dubitari non possit, de eo quod  
videtur. Et sic est alius modus quo Deus anima  
instruit & illi loquitur sine eo quod loquatur  
sicuti iam dictum est: & est loquendi modus ce-  
lestis, qui vix in hac vita intelligi potest, etiam si  
dicere velimus, nisi Dominus ipso facto nos in-  
struat. Facit Dominus quantum vult ut anima  
intelligat, & in interiori parte ipsius animae, ubi  
se sine imagine & verborum forma representat,  
sed solum in modum istius visionis de qua dixi-  
mus, & notetur bene iste operandi modus, quo  
in operando vtitur Dominus, ut anima intelli-  
git ipsam veritatem, nec non profundissima my-  
steria quantum vult Dominus, & est talis in quo  
dæmonium se intromittere non potest, propter  
has rationes, quæ si bonæ non essent decipi pos-  
sem, & est res ita spiritualis modus istius visio-  
nis & modus loquendi, ut nullus strepitus in  
potentijs, aut sensibus inueniatur meo quidem  
iudicio, ex quibus dæmonium possit aliquid ob-  
tinere, hoc quandoque ita euenit & breuiter,  
quia alias mihi videtur quod ipsæ potentiae non  
remanent suspensæ nec sensus tolluntur, sed  
sunt multum apud seipcos, cum sit quod hoc  
non eueniat semper dum est in cōtemplatione,  
imò rarius & illæ quæ sunt nihil faciunt, sed  
omnia

omnia videtur operari Dominus : & est sicut quando cibus est in stomacho positus, sine eo quod ipsum manducauimus, nec sciamus quomodo ad stomachum venerit : nouit quidem quod ibi sit, licet nesciat qualis sit cibus, neque qui eum ibi posuit. Hic verò scitur qualis sit cibus, tantum non scitur quomodo ibi sit positus: posteaquam visus non sit, nec intelligitur, nec vñquam anima mota fuit, vt appeteret: neque vñquam in mei notitiam venit, vt ita esse possit. In isto loquendi modo de quo prius, facit Dominus vt intellectus intelligat & remaneat attentus licet non velit, vt intelligat quod dicitur.

In illa verò videtur quod anima habeat alias auriculas quib. audit, & audire facit, & facit auscultare, & quod alio se se non diuertat, in modum alicuius, qui bene audit & non consentit vt ei aures obturentur, & clamaret præsens alta voce licet non vellet audiretur, & finaliter aliiquid facit, quia manet attentus vt intelligat id, quod dicitur, sed nihil hic eiusmodi est, nam quantumcunque illud parum, quod est solum auscultare in modo prædicto illi tollitur, & totum inuenit accommodatum, & aliud non habet, vt faciat quam vt gustet, eum in modum, vt qui sine eo quod discat, aut legere studeat, aut vñquā aliquid addidicerit, inueniat se in omni scientia dōctissimum, sine eo quod sciat quomodo, vel vnde habeat, cum nunquam didicerit alphabetum. Hæc vltima comparatio videatur ali-

turaliquantulum declarare hoc donum cælestis,  
quia in vnico momento inuenit se anima ita in-  
structam, vt altissima quæque intelligat, vt non  
sit Theologus, cū quo disputare non audeat, de  
veritate tantæ magnificentiæ. Remanet illa ita  
stupefacta, vt vna sola gratia sufficiat, quo ani-  
ma tota permutetur, & faciat vt nullū amet, nisi  
quem sine aliqua molestia videt: eamq; multorū  
bonorū capacem reddit, & quædam ipsi secreta  
communicat, atque secum tanta cum amicitia  
& amore tractat: vt describi non possit, & facit  
illis quasdam singulares gratias, quæ suspicio-  
nem adferunt cum sint mirabiles & factæ illi,  
qui parum meruit. Itaque pauciores ex illis re-  
feram, quas mihi Dominus contulit, si alioqui  
aliter mihi demandatum non fuerit vt plures re-  
feram, exceptis aliquibus visionibus quæ ali-  
quo modo iuuare poterunt, vel vt illi quibus  
Dominus non concessit admirantur persuaden-  
do sibi impossibile fore, sicuti mihi contigit, vel  
vt declarem modum per quem voluit Dominus  
vt ex aliorum mandato hæc scribam. Redeun-  
do itaque ad intelligendi modum, videtur quod  
planè velit Dominus, vt anima habeat aliquam  
notitiam illorum, quæ in cœlo fiunt: & videtur  
quod sicut beati sine eo quod loquuntur intel-  
ligunt: sic etiam hic fit, id quod nunquam sci-  
ueram, quousq; Dominus per suam bonitatem  
voluit, vt experirer, q; in vnico raptu mihi de-  
monstravit, & accidit quod Deus & anima si-  
mul intelligunt, ideo tantum, quia Dominus ita  
vult

vult, vt illa sine aliqua arte intelligat, amorem scilicet quem duo amantes inter se mutuo habent: in modum illorum, qui hic se inuicem multum amant, & tales habent intelligentiam vt sine nutibus, ex aspectu tantum se inuicem intelligent. Sic hic esse debet, vt dicit sponsus sponsae in Canticis. Mirabilis Dei benignitas vt ita permittat se oculis conspicere, qui male viuendo ipsum aspicerunt, prout sunt oculi animæ meæ. Remanent nunc ô Domine oculi mei ex ista visione confortati, vt inferiora quæque amplius conspicere nolint: sed neque in aliqua alia re satiari quam in te solo. O mortalium ingratiudo, & quando eò peruenietis? O animæ quæ incepistis orationi vacare, habendo fidem viuā, quanta bona acquirere potestis in hac vita dum adhuc existitis, vt taceam de eo quod æternum est. multa enim illis concedit Deus qui omnia propter Dei amorem relinquent, & non est personarum acceptor: omnes amat, & nemo se excusare poterit licet sit pessimus; cum ita mecum egefit, ad hunc statum me assumendo. Hic necesse est visionis & favoris referre modum, quo Deus cum anima operatur. Veruntamen ea quæ sentit quando secreta intelligit nullo modo dicere possum; sed neque eorum magnitudinem aut delectamentum, quod longè omnia alia superat; & facit vt ab omnibus huius vitæ præsentis delectationibus abhorreamus, quæ in comparatione illius summi boni nihil sunt. Deductus sumū est, & ego in meipsa confundor & eru-

Q

besco

besco:& si in paradyso erubescientia esse possit  
non sine ratione ibi erubescerem magis quam  
aliquis alias, posteaquam tanto bono frui debe-  
mus tantaque gloria, expensis Domini nostri Ie-  
su Christi. Quare ad minus non collacryma-  
mur cum filiabus Hierusalem, posteaquam cum  
Simeone Cironeo nolumus adiuuare crucem  
portando? Anne nos cum delectatione frui de-  
bemus, quod precioso suo sanguine compara-  
uit nobis? Estne possibile, vt nos per vanam  
gloriā resarcire possimus, quod ipse per contu-  
meliā passus est, vt in aeternum regnemus? Non  
est vera via. Erramus, erramus, nunquam ita  
eo perueniemus. Sua Reuerentia non cesset ex-  
clamare hanc veritatem ex quo Deus hanc mihi  
libertatem non concessit, verum contra meip-  
sam exclamare vellem, quia tardam me esse sen-  
tio Deum cognoscendo, vnde confundor cum  
de eo loquor, & ideo tacere libet, solum hoc di-  
cam quod aliquoties considero, faxit Deus vt  
tandem tali fruar bono, vt erit beatorum gloria  
accidentalis, qui ea fruentur qui tardè venien-  
tes, quod ipsis possibile fuit, fecerunt. Quam  
erit diues qui omnia propter Christum dereli-  
quit? Quanto afficitur honore, qui omnem  
propter Christum honorem recusavit? Quam  
erit sapiens, qui propter Christum reputatus  
fuit stultus? Et quam pauci sunt modo, qui à  
mundo reputati sunt stulti? O munde immun-  
de multum lucraris, quia pauci sunt qui te cog-  
noscent: nam nobis persuademus eo magis nos

Deo

Deo inseruire, si à mundo sapientes & discreti iudicamur. Et ita secundum mundi iudicium esse debet, videtur enim ad ædificationem pertinere, si cum authoritate in omni gradu procedimus bene compositi, nouitas esse videtur detrita portare vestimenta, vtinam ad minus aliquam eorum haberet similitudinem, quæ Christus nec non Apostoli sunt passi: posteaquam multò magis nunc eiusmodi personis indigimus quam vñquam. Verum prætendunt sese nō posse in tanta viuere perfectione, quia inquiunt debilioris sumus complexionis & tempora sunt mutata, sed videte quomodo hoc nostro sæculo vixerit benedictus frater Petrus de Alcantara, qui mundum sibi tenuit subiectum, asperam agens pœnitentiam quadraginta septem annis, vt omnes norunt: de quo pauca quædam referre cuperem, quæ scio ita se habere: nempe quod inter noctem & diem per vnicam tantum horā & medium solitus erat dormire, hinc maiori ex parte stabat, vel genibus flexis manebat, & sedendo dormiebat, eius cubiculum quatuor pedum cum dimidio erat: toto illo tempore sibi caputum nec propter solis ardorem, vel pluuiā imponebat, nudis pedibus incedebat, tertio quoq; die semel manducabat, socius ipsius mihi retulit quod quandoque sine cibo per octiduum remanserit: & credo quod tunc in oratione perstiterit, habebat enim magnos amoris in Deum raptus & impetus, paupertas ipsius fuit extrema, nec non eius in iuuentute mortifica-

Q 2

tio, &amp;c

tio, & inter alia dixit quod tribus annis fuerit in quodam conuentu sui ordinis in quo neminem fratrem cognouit nisi ex auditu, quia nunquam oculos suos eleuabat; similiter quando ex quadam necessitate ad aliquem locum ibat, ignorabat quo iret, sed alios sequebatur. Multis annis nullam aspexit fœminam, diem mortis eius mihi prædixit, eundemque dum iam decrepitæ ætatis esset, cognoui, admodum affabilis erat, licet paucis & breuiter loqueretur. Plura de eodem S. Reuerentiæ scribere desidero, verum ne forsitan tædio afficiatur finem faciam, si tantummodo hoc dixero qualiter incipiēdo psalmum, lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus, & ad finem perueniens genibus flexis, mortuus sit. Post mortem, eius animam sæpius in gloria vidi, atque mihi prima vice apprendo dixit: O felix pœnitentia quam tantum promerui p̄iemium, & antequam expiraret mihi apparuit dicendo se in refrigerium ire, & sic cum in Domino mortuus sit, viuere in æternum cœpit. Sit Dominus benedictus per infinita sæcula, Amen

## C A P. X X V I I I.

*In quo tractat quomodo prima vice illi Dominus apparuerit, nec non refert gratias quas eidem concessit; declarat quæ sit visio imaginativa eiusque effectus & signa que remanent quando est à Deo, & est præsens capitulum utile & notatu dignum.*

AD no-

**A**D nostrum propositum reuertendo dico,  
q̄ in ista visione per aliquot dies perman-  
serim, ex qua tantum concepi vtilitatem vt ora-  
tionem non intermiserim, & ulterius omnem  
adhibebam operam ne illum offenderem quem  
clare videram, licet quandoque timerem ex illis  
quæ mihi prius dicta fuerant: parum tamen du-  
rabat, quia Dominus me securam reddebat.  
Quodam die stando in oratione placuit Domi-  
no, vt eius mihi manus demonstraret, quæ tam  
erant pulchræ, vt exprimere eius pulcritudinem  
nullatenus possim. Verum post aliquod tēporis  
interuallum eius etiam vidi faciem diuinam, ex  
qua visione videbar planè absorpta. Percipere  
nō potui quare Dominus seipsum mihi ita pau-  
latim, & postea se omnimode videndum præ-  
buerit: sed percipi postea quod Dominus paula-  
tim secundum conformitatem & capacitatem  
debilitatis meæ suam gratiam mihi communi-  
cauerit. Sit benedictus in æternum, quia subie-  
ctum tam abiectum & defectibus plenum tantā  
non potuisse sustinere gloriam, nisi Dominus  
illud ex sua in me pietate & clementia paulatim  
disposuisset. Sua Reuerentia non multum indi-  
guit eiusmodi confortatione, vt eius manus &  
faciem pulcherrimam videret. Interim etiam  
verum est, beatorum corpora glorificata esse de  
facto ita pulchra, vt magnam deliquij dent oc-  
casione, quando res ita supernaturalis vide-  
tur. Hinc factum est quod primo fuerim con-  
turbata, licet postea cōtentā & secura perman-  
serim,

Q 3

serim, sentiendo magnos eius effectus, ut timor statim abcesserit. Quodam die sacro S. Paulo dum Missæ sacrificio interessem, sese mihi Christi humanitas repræsentauit in ea forma prout depingit in sua gloria resurrectione, maxima cum pulchritudine & maiestate, sicuti alias tuæ Reuerentiæ scripsi, cum hoc mihi maxima cum instantia præciperet, licet contra meam voluntatem, posteaquam referri non possit, quin anima videatur languescere: & tunc de eo scripsi meliori quo poteram modo, ut hic necesse non sit eadem repetere. Sed hoc solum dico, quod si in cœlo alio fruendum non esset, quam corpora glorificata videre, summa esset gloria: maximè Domini nostri Saluatoris videndo humanitatē, licet solum demōstretur secundum miseriæ nostræ conformitatem & nostram capacitatem. Quid igitur erit in cœlo vbi tanto fruitur bono? Hæc visio licet sit imaginativa, nūquam tamen illam vidi oculis corporeis, sed animæ oculis, & dicunt, qui melius me nouerunt hæc esse perfectiorem quam quæ oculis corporeis videtur, q̄ dicunt infirmam esse & tales in qua dæmonium nos illudere potest. Sed hoc tunc capere non poteram, vnde oculis corporeis videre desiderabam, licet in eo Dominus postea fauere mihi voluerit, ne meus confessarius dicere posset, quod forsitan errasse, nam & ego post tales visiones cogitabam si forsitan in videndo oculis corporeis aberrasse, & sensi aliqualem pœnam ex eo q̄ meo Confessario retulerim, cogitando quod forsitan

forsitan errare potuerim, hinc ipsū accessī & ipsi  
eadē retuli. Rogabat tum me si ita sese res habe-  
ret, vel si forsitan ipsum voluisse illudere. Dixi  
veritatem, & quod meo iudicio mentita non  
essem, sed quod neque vñquam talem illuden-  
di habuissē intentionem, & nunquam v-  
num pro alio dixissem, licet maxima quæque to-  
tius mundi lucrari potuissē, & hoc bene sci-  
uit, vnde me quietam reddere studuit. Dominus  
postea hanc mihi gratiam præstīt, hanc veri-  
tatem declarando: nam licet multis annis per  
imaginationem voluisse eiusmodi figurare  
pulchritudinem nunquam potuissē, quia om-  
nia superat, quæ imaginari possunt: etiam in al-  
bedine & splendore. Splendor enim talis non  
est, qui lumen oculorum nostrorum obfuscat:  
sed est infusus, & albedo suavis, quæ maximam  
visui nostro præstat delectationem, & est lux  
ista in tantum differens, vt splendor solis potius  
in comparatione claritatis & lucis quæ oculis  
nostris corporeis repræsentatur, luce carere vi-  
deatur, vt nolle vñquam oculos aperire, & est  
in modum aquæ, quæ fluit supra crystallum  
in qua sol reuerberat, in comparationem aquæ  
turbidæ, & nubilosę per terram defluentis. Non  
hoc dico quod solem repræsentat, vel q̄ lux illa  
sit in modū istius solis: sed videtur naturalis lux  
esse, solis vero artificialis, est lux quæ noctem  
non habet, sed cum semper sit lux, à nullo per-  
turbatur: & talis est, vt sit quicunque velit ita  
intelligentiæ capax non poterit vñquam ima-

ginari quomodo sit : & Deus tam cito homini illam proponit, vt neque ictus oculi citius fieri possit, quam cum Dominus vult, vt illam videamus , etiamsi nos non velimus , sed neque tunc resistere possumus.

Nunc verò cuperem referre modū quo Dominus demonstratur per eiusmodi visiones. Nō dico me velle declarare in quo modo hæc lux tam excellens possit in interiori sensu reponi, vt videatur ibi esse , est enim materia pro doctissimis, nec voluit mihi Dñs hanc notitiā dare cognoscendi quomodo, nā licet multi mihi hoc declarare voluerint capere non potui, sed dicam q̄ vidi per experientiam , quomodo Dominus facit. Sua Reuerentia melius dicet quam ego , & declarabit quicquid hic erit obscuritatis, si non sciuero dicere. Videbatur quidem mihi in aliquibus, quæ videbam esse imaginem quandam, sed multo aliter , quia secundum claritatē in quaipſi complacuit seipsum mihi demonstrare erat ipſe Christus. Aliquoties confusè videbatur esse imago, non vt retractus, qui hic sunt, licet sint perfectissimi, quales quam plurimos vidi, & est extra propositum cogitare quod vnum cum alio habeat similitudinem , quia nunquam retractus erit tam artificiosè depictus, vt eīt homo naturaliter viuus , quin appareat retractus rem esse mortuam. Sed hoc relinquamus & secundum literalem sensum ad propositum loquamur ; & dico nullam dari comparationem quæ iusta esse possit , sed tanta est differentia,

quanta

quanta est inter rem viuam & depictam, non minus nec magis, quia si illa est imago, est imago viua, non homo mortuus, sed Christus viuus, & facit ut cognoscamus, quod Deus sit & homo, non vt erat in sepulchro, sed eo modo vt exiuit quando resurrexit, & quandoque tanta cum maiestate, vt nō sit qui dubitare possit, quin ipse sit verus Dominus, maximè circa finem communionis, cum sciamus eum ibi esse, vt nostra nos docet fides catholica, repræsentando quod ipse sit Dominus istius habitationis, ita vt videatur anima in Christo consumi. O Domine Iesu, si quis bene posset declarare maiestatem illum quam tunc tu ipse demonstras: & quam bene ibidem tunc videatur quod sis Dominus totius mundi & cœli etiamsi infiniti essent quos tu creare potes. Cognoscit anima secundum maiestatem quate repræsentas nihil esse cuius non es Dominus. Hic videtur quam parua sit Diaboli potestas in comparatione tuæ Maiestatis & potestatis: & quomodo qui tibi inferiunt etiam possint infernum totum conculcare. Hic cognoscitur ratio quare dæmones timuerint quando ad limbum descendisti, & quomodo desiderauerint infernum millies profundiorrem quo maiestatem tuam fugere potuissent, vnde video o Domine quod demonstrare volueris, quid sacratissima tua humanitas possit diuinitati unita: hæc omnia hic repræsentantur, & quid erit in die iudicij ubiclare videbitur tanti Regis Maiestas, & in peccatores tanta seueritas?

Q 5

Hic

Hic tunc inuenitur vera humilitas , quæ in anima relinquitur , quando suam miseriām considerat, quām non potest non cognoscere. Hic est vera confusio, veraque peccatoris pœnitentia : ita ut videndo etiam ostendat amoris signa, ut omnino amore langueat. Dico quod hæc visio tantam habeat vim , quando Dominus vult animæ aliquam suæ maiestatis & magnitudinis partem ostendere, ut teneam pro impossibili, si alioqui Dominus supernaturaliter adiuuare nō vellet, ut quis illam sustinere posset : & in tantum remanet illa maiestas animæ impressa, ut impossibile sit eam posse tradere obliuioni: nisi quando Deus vult, ut anima patiatur aliquam ariditatem vel solitudinem magnam & mentis hebetudinem de qua postea dicemus: quia etiā tunc videtur , ut etiam ipsius Dei vix memores simus. Remanet anima quasi alia esset , semper absorpta: & videtur de nouo acquirere verum Dei amorem in multo maior i gradu, ut mihi videtur: licet visio præcedens sicut dixi, quæ repræsentat Deum sine imagine sit excellentior, nihilominus ut in memoria continuatur secundum nostræ debilitatis conformitatem, quo nostra cogitatio occupata teneatur , magnum est si diuina præsentia remanet repræsentata, & sic simul veniunt hi duo modi visionum: nam oculis animæ semper videtur excellentia, pulchritudo & gloria sanctissimæ humanitatis , & in alio modo, nobis demonstratur quām sit Deus omnipotens, & qualiter Deus est, & quod omnia potest,

test, omnibus mandat, omnia gubernat, & omnia suo amore replet. Est hæc visio in precio habenda, & est sine periculo meo iudicio, quia ab effectu cognoscitur, & nullam hic habet dæmonium potentiam.

Videtur quod ter vel quater dæmonium se ipsum mihi voluerit repræsentare, eo modo ut Dominus in falsa repræsentatione, assumendo formam carnis, sed se in gloria non potest assimilare, quam secum habet quando est Deus, fingit repræsentationes, ut annihilet veras visiones quas anima vidit, verum ex illis perturbatur, resistit, male afficitur & inquietatur, ita quod deuotionem perdat & gustum quem prius habuerat, & sine oratione remanet. Hoc mihi in principio ter aut quater accidit, sed est tanta differentia, ut etiam illi, qui non peruerterunt adhuc usque ad orationem quietis, credo quod ex effectu facile discernere poterunt, & est res ita manifesta, ut si anima decipi alioqui nolit, mihi videtur quod dæmonium illam decipere non possit, si alioqui cum humilitate & simplicitate procedit. Qui habuit veram Dei visionem, statim quasi sentit, quia licet cum delectatione & gusto incipiat, anima nihilominus eam a se repellit, & meo quidem iudicio gustus debet esse diuersus, & non demonstrat amorem purum & castum, vnde breui temporis spacio cognoscitur quis sit. itaque ubi est experientia, dæmonium damnum facere non poterit.

Cap.

## CAP. XXXIX.

Prosequitur materiā inceptam, & refert nonnullas gratias magni momenti, sibi exhibitas, nec non quedam alia à Domino dicta, ipsam reddendo securā, ut contradicentibus respondere posset.

**H**ACTENVS in medium protuli quasdam rationes, quibus probavi imaginationes non fuisse. Quomodo enim nos studiosè poterimus Christi humanitatem per ordinem eius pulchritudinem (per imaginationem ponendo) repræsentare? non enim parum temporis requiritur, vt hoc fiat, quo aliqua in re assimilari possit. Bene poterit coram sua imagine repræsentare, & illam aspiciendo per aliquod temporis spacium, vna cum figuris & albedine sua perfectionem in suo intellectu imaginari, hoc nemo impedire poterit, quin per intellectum fieri possit: sed in illo modo de quo nos tractamus nullum est remedium pro tali effectu: sed sumus astricti, vt eum videamus quādo Dño placet se ipsum præsentare, & eo modo vt vult, & quantū suæ Maiestati placet: nec aliquid addere vel minuere, aut videre vel nō videre licet omnino nitamur resistere: & si velim<sup>o</sup> aliquid in particula- ri videre, statim perditur Christus. Duobus annis cum dimidio hanc gratiam Dominus mihi concessit, idque frequenter: & modo tres sunt anni lapsi quod illam non habuerim, maiorem mihi

mihi tribuendo ( de qua postea forsitan dicemus,) & suauiter mecum loquendo, nec non eius pulchritudinem considerando. Cum verò summopere desiderarem oculorum eius colorem & excellentiam videre , quod alijs ea referre possem, non promerui vñquam videre, licet omnem adhibuerim operam: nam quantumlibet aliquoties suis me aspicerit oculis, talem habet eius visus virtutem , vt anima eandem sustinere non possit, vtq; eo magis in raptu fruatur , eius aspectum penitus perdit. Itaque in hoc casu nihil facit velle vel nolle : & clarè appareat quod à parte nostra nihil aliud Dominus velit, quam humilitatem & confusionem , vtque accipiamus quod nobis datur, eumque laudemus qui nobis illud concedit.

Hoc accidit in omnibus visionibus nulla excepta, quia nihil iuuat vt videamus plus vel minus, & ad illū effectum vana est omnis humana diligentia. Vult Dominus vt clarè videamus non esse opus nostrum, sed suæ diuinæ Maiestatis, & sic multò minus possumus superbire, imò facit vt simus humiles & timidi, videndo, quod quando Dominus nobis aufer potestatem videndi illud quod cupimus , potest etiam auferre illos fauores & gratiam, & nos in perditione relinquere, vnde conuenit, vt semper cum timore procedamus, interim dum in hoc exilio viuimus. Propemodum semper seipsum mihi Dominus repræsentauit vt resuscitatus , similiter etiam in hostia: exceptis aliquibus vicibus , vt

me

me consolaretur & confortaret, quando in tribulatione eram: tum enim mihi sua vulnera monstrabat, nec non spineam coronam crucem portando, verum semper in carne gloriofa. Hæc referendo magnam passa sum erubescitiam, nec non timorem multasque persecutio-nes, multi enim apertè dicebant me habere dæ-monium, ita quod me coniurare voluerint, de quo parum curabam: verum multo maiorem concepi dolorem ex eo quod Confessarij mei ti-muerint meam audire confessionem. Attamen nullo modo me pœnitere debet quod eiusmodi cœlestes visiones viderim, sed neque pro omnibus huius mundi bonis vel vnicam saltem com-mutare vellem, eas enim pro maximo Dei the-sauro semper acceptauit & gratia, qua Dominus non tantum me securam reddidit, verum mag-num eius in me amorem creuisse sentij, rema-nendo per orationem consolata: illis tamen cō-tradicere non audebam videndo quod peius fa-cerent, iudicando paruam in me esse humilitatem, tractabam cum meo confessario, qui vi-dens me quandoq; afflictam me consolabatur, verum alias quidam qui me adiuuare solebat, & cui aliquoties eram confessus, videns indies crescere visiones, apertè & clarè dicere cœpit spiritum esse diabolicum, hinc mihi præcepit, vt, postquam aliud non superesset remedium, me semper signo sanctæ crucis signarem quo-tiescumque eiusmodi visiones mihi repræsen-tentur, quodque illas contemnerem, sciens Dæ-monium

monium esse, & quod vtendo tali remedio ulteriorius non rediret, & per Dei gratiam liberarer ac Dominus me custodiret, verum cum firmiter crederem Deum esse, multum exinde cruciabar, neq; desiderare aliquo modo poteram, vt tales visiones auferrentur, feci tamen vti mihi præcipiebatur, ac instanter Dominū rogabam, vt ab eiusmodi illusionibus vti ipsi dicebant me liberae dignaretur, idque non sine lacrymis, me sanctis Apostolis Petro & Paulo commendando, qui mihi à Domino dati erant, vt me ab omnii illusione diabolica custodirent, & id factum fuit in die dedicationis illorum, quando prima vice Dominus mihi apparuit. Quando ex præcepto eiusmodi visiones contemnere debebam multum affligebar; & Dominum rogaui vt id mihi ignosceret, cum fieret ex eius mandato qui locum ipsius tanquam minister Ecclesiæ tenebat. Respondit quod obediendo bene facerem, & ita se se facturum vt veritas cognosceretur, verum quod mihi orationem interdixerint egrè tulisse videtur, nam mihi præcepit vt illis dicere, illorum præceptum tyrannidis specie præse ferre, me instruendo quibus rationibus illos conuincere poteram affirmando démonium nō esse, ex quibus postea alias referam. Quodam die tenendo in manu mea crucem ex meo rosario dependentem, illam Dominus manu sua tulit, & restituendo erat ex quatuor preciosissimis lapidibus qui videbantur supernaturales; in quorum comparatione omnes huius mundi lapides

pides preciosissimi imperfecti videntur, & erant  
in illis quinque vulnera Christi artificiose scul-  
pta: & mihi tūc dixit quod deinceps sic eum es-  
sem visura, & ita accidit: lignū .n. in quo erat nō  
vidi, sed tantum istos lapides, & nemo vidit ni-  
si ego. Postea verò quo magis volebam resiste-  
re, eo magis gratiæ diuinæ augebātur, & volens  
me diuertere, ab oratione discedere non poterā;  
ita quod dormiendo videbar in ea perseuerare,  
hinc mirabiliter amor crescebat, qui planè su-  
pernaturalis videbatur. Ex desiderio videndi  
Deū tunc videbār mori, nec sciebam quomodo  
vitam acquirere deberem nisi mediante morte.  
Maximi impetus mihi ex isto amore prouenie-  
runt, licet non fuerint tam vehementes, vt susti-  
nere non potuerim: sicuti illi de quibus ante  
dixi, neque tantæ virtutis, vt non sciuerim quid  
facerem, nullatenus fatigari poteram: sed so-  
lum anima à corpore separari videbatur. O ars  
Domini ineffabilis & altissima, nec non in-  
dustria delicata, quam ostendisti famulæ tuæ mi-  
seræ, tu enim ô Domine te per mortem ita dul-  
cem & suauem à me abscondisti, & tuo me amo-  
re accendisti, ita vt anima nunquam ab ea sep-  
rari vellét. Impossibile est, vt, qui non est ex-  
pertus, intelligere possit: non est pectoris in-  
quietudo, nec sunt certæ deuotiones, quæ quā-  
doq; euenire solent & ipsum spiritum suffocare  
videntur, vt respirare non possit: & est hæc ora-  
tio omnium infirma, & istæ accelerationes im-  
pediri debent, nitendo eas suauiter in se ipso  
collige-

colligere, & animam quietare: & hoc accidit prout in aliquibus infantibus, qui habent planctum ita acceleratum, vt videantur suffocari, & dando ipsis ad bibendum cessat superfluus eiusmodi planctus, sic ipsa ratio impedit & frenum attrahit, quia fieri potest, vt natura seipsum adiuuet. Conuertatur itaque consideratio, in cogitando & timendo quod nō possit esse omnimode perfectus, sed quod ibidem prædominetur magna pars sensualitatis, & infantem illū quietem reddat aliquo amoris signo, vt moueatur ad amandum suauiter: non percutiendo, sed amorem interius colligendo, nec pulte superflua, ne ligna sine discretione apponēdo effundat & dispergatur quicquid in eo est, & procuret flamam lacrymis suauibus extinguere, nō odiosis, prout sunt illæ istius ignis sensus, & causant magnum damnū. Tales deuotiones sæpius habui in principio, verum caput meū ita perturbabant & spiritum defatigabant, vt vix post secundum vel tertium diem me potuerim dare orationi. Itaq; magna opus est discretione in principio, vt omnia cum suavitate procedant: quo spiritus docetur ad operandum interius, vtque exteriora vitentur. Alij impetus sunt admodum differentes, nam nos in illis ligna non apponimus, sed videtur quod, cum ignis sit accensus, statim in eo iniçimur, vt comburamur: anima non procurat, vt de absentia Domini doleat, sed isti impetus transfigunt sagittam quandam in intimis visceribus, & quandoq; in ipso corde, vt anima

R.

nesciat

nesciat quid habeat, multo minus quid velit,  
nouit quidem quod Deum velit eumque desi-  
deret, & videtur quod sagitta germet herbam  
quo abhorreat a se ipso propter Dei amorem, &  
pro eo libenter vitam suam daret.

Non potest satis sufficienter exprimi modus,  
quo Dominus animam vulnerat, neque ipsa pœ-  
na quam adfert: quæ facit, ut nihil de seipsa sciat,  
& est pœna tam suavis, ita quod nulla sit in hac  
vita delectatio, quæ maiorem posset dare conso-  
lationem. Velle anima, ex isto malo moriendo,  
viuere semper, pœna ista gloriæ est coniuncta,  
me tenebat extra me ipsam, eo quod intelligere  
non poteram quomodo id esse posset. O quam  
pulchrum est & delectabile animam videre vul-  
neratam per tam excellentem rationem qua  
clarè videt & intelligit ex illo excessu Domi-  
ni amore quandam cecidisse in ipsa scintillam,  
quæ facit ut tota ardeat. Quoties recordor me  
in statu istius versiculi Davidis fuisse. Quemad-  
modum desiderat ceruus ad fontes aquarum,  
videtur illud in me adimpletum, quando ex isto  
**excessu** desiderio videatur aliquantulum mi-  
tigari, ad minus tunc queritanima aliquod re-  
medium, quo pro amore Dei patiatur, cum fa-  
ciendo pœnitentiam pœnam non sentiat neque  
sanguinem spargendo, non minus ac si corpus  
mortuum esset. Verum primus dolor ingens est,  
ita quod nesciam quale tormentum illum supe-  
rare posset, & cum hic non sit remedium, me-  
dicinæ omnes pro tanto malo sunt insufficiëtes,

hoc

hoc modo non nihil consolatur, auxilium à Deo  
& remedium postulando, & cum nullum super-  
esse videat morte excepta, qua mediante eo per-  
uenire cogitat, quo tanto fruatur bono. Est  
quandoque dolor tam vehemens ut nihil face-  
re possit, totum enim corpus ita conscindit, ut  
neque manibus neque pedibus vti possit neque  
respirare, sed tantum paruos emittit gemitus.  
Manendo in tali statu voluit Dominus, ut hanc  
haberem visionem. Apud me in sinistra vide-  
bam aliquoties Angelum in forma corporali,  
qualiter videre solita non eram, licet saepius mi-  
hi Angeli se se repræsentauerint, non tamen il-  
los vidi, sed sunt vti in visione præcedenti de  
qua prius dixi, verum in hac visione voluit Do-  
minus ut sic eum viderem, non erat magnus,  
sed admodum formosus & eius facies erat ita at-  
censa ut videretur esse aliquis ex principaliorib.  
Angelis, qui Seraphini vocantur. Habebat in  
manu gladium aureum acutum, circa extremi-  
tatem habere videbatur parum ignis, quo cor  
meum transfigere videbatur, atque ad interiora  
viscera penetrare, & extrahendo secum ferebat,  
& me totam amore Dei incensam reliquit, &  
dolor tam fuit ingens ut multos emiserim gemitus,  
& nihilominus tanta erat suauitas excessiva,  
ut mihi maximum dolorem præbuerit, qui ut  
auferatur desiderari non potest. Anima re nulla  
Deo excepto satiari potest.

Dolor nō erat corporalis sed spiritualis, quan-  
tumuis corpus ab eo immunis non fuerit. Est

R 2      vehi-

vehiculum ita suave quod transit inter Deum & animam, ut rogem suam Maiestatem diuinam vt eos gustare permittat, qui forsitan me mentiri credant. Durante tali affectu vt ebria incedebam, voluisse neque videre neque loqui, sed tantum in ea remanere pœna, quam maiorem iudicabam gloriam, quam quæ in omnib<sup>z</sup> creaturis inueniri potest. Hoc mihi saepius contigit, ita vt stando in aliorum præsentia sine magna pœna resistere non potuerim, ita quod postea publicari incuperint. Sit Dominus in æternum benedictus, qui eiusmodi fauores concedit, quem tam malè pro tantis beneficijs acceptis correspondet.

## C A P. X X X.

*In quo vitæ suæ discursum prosequitur, nec non refert quomodo Deus remedium adhibuerit quando in maximis esset molestijs, & quomodo, S. Pater Petrus Alcantarus Ordinis S. Francisci ad illam venerit. Tractat præterea nonnullas tentationes grauissimas & molestias interiores quas aliquando passa fuit.*

**A**NIMADUERTENDO quam parum aut nihil potuerim operari propter magnos impetus, timebam valde, cum intelligere non possem quomodo pœna & delectatio simile esse possent. (De spirituali loquor) quia sciebam fore possibi-

possibile vt pœna corporalis & delectatio spiritualis simul manere possent. Sed pœna spiritualis excessiva cum magna delectatione & gusto, hoc me obstupescere fecit, & omni modo resistere conabar: sed ita parum poteram vt aliquoties defatigata remanserim. Nemini ea quæ mihi contingebant referre audebam , excepto meo confessario: nam si illa alijs retulisset, bene dicere potuissent in me paruam fuisse humilitatem. Placuit Domino meis molestijs magna ex parte remedium adhibere. Venit enim ad me Benedictus Pater frater Petrus de Alcantara cuius mentionem ante feci, referendo mihi aliqua suam pœnitentiam concernentia: & inter reliqua retulit q̄ viginti annis continuis ciliciū (*de piastradimetallo* , ) siue metallicum portasset, qui etiam aliquorum libellorum est author, in quibus de oratione tractatur, qui passim in lingua vulgari inueniuntur, quia cū in illo exercitio multum profecisset, scripsit in illorum gratiam, qui sese in oratione exercent. Strictissimè regulam Sancti Francisci obseruabat. Venit ad me vidua illa admodum mihi chara cuius ante mentionem feci, quando intellexit huius Patris aduentum: cum & illa meam sciret necessitatem & afflictiones, in quibus me consolari solebat, quæ cum sincera haberet fidem , aliter credere non poterat , quām quod esset spiritus Dei bonus , licet alij contrarium affirmantes dicerent esse dæmonium, quæ cum esset iudiciosa & admodum discreta , yt cui Dominus magnam in

R 3

ora-

oratione contulerat gratiam , voluit sua Maie-  
stas diuina , vt doctissimorum virorum interef-  
set congregationi. Concedebant mihi mei con-  
fessarij , vt libere cum eadem de aliquibus lo-  
querer. Itaque certior facta de aduentu Patris  
Petri , vt eò melius ego cum eodem tractare pos-  
sem : me inscia , licentiam à meo Patre Prouin-  
ciali obtinuit , vt mihi per octiduum in eius adi-  
bus comorari liceret , vbi ego nec non in ali-  
quibus ecclesijs prædicto Patri , totius vitæ meæ  
rationem & in oratione procedendi modum ,  
maiori qua poteram claritate , sine aliqua simu-  
latione , sicuti etiam cum alijs , qui animæ meæ  
curam habebant , facere consueueram , declara-  
ui , qui statim melius animaduertit , ( habens in  
omnibus experientiam ) in quo omnis difficul-  
tas consisteret , quam ego ipsa alijs declarare po-  
teram , cum gratias mihi à Domino concessas  
minime intellexerim. Itaq; prædictus Pater fi-  
deliter me instruens ( non comprehendendo vi-  
siones , quæ non erant imaginatiuæ minimè per-  
cipere poteram , quæ animæ oculis videbam ,  
nec modum quo id fieri posset , cum tantum ea-  
rum curā habueram , q̄ oculis corporeis viderā-  
voluit , vt quas animæ oculis vidissem in precio  
haberem , & sic Pater Petrus de hisce visionibus  
me instruxit , & summopere mecum consolaba-  
tur , certissimè sciens Dei spiritum bonū esse , &  
q̄ fide excepta , nihil possit esse verius ; & q̄ pro-  
pterea sumopere essem obligata ad Deū laudan-  
dum. Et mecum habuit maximā compassionem ,  
cūm

cum, habere honorū virorum contradictionem, sit ex maximis molestijs, quæ inueniri possunt. Et quod etiam similes in posterum deberem expectare, cum ne vnuſ quidem in ciuitate eſſet, qui me intelligere potuerit, & dicebat ſe velle de hoc loqui meo confessorio & cuidam alteri nobili, qui me plurimum moleſtauerat, licet me ſatis amaret. Quo facto ulterius ab iſis non moleſtabar, licet rationes quas in medium Pater Petrus adduxit nobili prædicto insufficientes viderentur, & vna conclusimus ut Patri Petro, quæ mihi acciderant transcriberem, & conſolata remansi committendo me Deo & orationi vacado, & nullo modo dubitaui quin Dei ſpiritus eſſet. Satiari non poteram in reddendo Deo Opt. Max. gratias, & Sancto Iosepho, mihi perſuadendo prædictum Patrem eius interceſſione ad me veniſſe, cum fuerit Commissarius Generalis custodiæ Sancti Iosephi, cui me multum nec non glorioſe virginis Mariæ commendaueraſſam. Sit Deus in omnibus benedictus, Amen.

## C A P. XXXI.

*In quo tractat aliquas tentationes exteriores  
& repreſentationes à Dæmonio ipsi factas,  
& de tormentis quibus ab ipſo afficiebatur,  
& nonnulla alia refert ad cautelam illis, qui  
per viam perfectionis progrediuntur.*

**M**Odo aliquas referam tentationes maniſtentas mihi à Dæmonio factas, quæ tales  
R 4 fuerunt,

fuerunt, ut negari non possit quin opera eius fuerint. Quodam die manendo in oratorio mihi apparuit in figura horrenda, maximè circa os eius, versus latus sinistrum mihi loquendo : ex corpore ipsius videbatur prodire flamma omnino clara sine aliqua umbra, & hæc verba non sine timore ingenti, mihi dixit, licet ex eius potestate liberata essem, in suam de nouo me esset redacturum. Summoperetunc timui, & meliori quo poteram modo feci signum sanctæ crucis & sic euanuit, licet statim reuerteretur, & hoc bis mihi contigit. Nesciebam quid factò opus esset, habebam aquam benedictam quam versus illud latus projiebam, nec amplius tunc est reuersum. Altera quadam vice circa me stans, quinque cōtinuis horis maximis doloribus me affligebat, nō sine interiori & exteriori inquietudine, ita quod plura pati vix potuisssem.

Quæ mecum erant stabant stupefactæ, & nesciebant quid facerent, sed neque ego quo pacto me iuuare possem. Alias ex consuetudine quando sentiebam dolorem intensum solebam aliquos facere actus meliori quo poteram modo, me Domino commendando & suam Maiestatem rogando, ut in tali dolore patientiam mihi concederet, & ita me pati usque ad finem mundi permitteret: sed tunc cum me ita per dolorem excessuum pati viderem, per alios actus remedium quæsiui, cum deliberatione ut talem dolorem perferre possem. Placuit Domino ut cognoscerem dæmonium esse, ipsum enim apud me

me vidi, & erat vt morus abominabilis, dentibus stridendo vti desperatus, quia vbi lucrari prætendebat, omnino suo damno perdebat: quando verò ipsum vidi, ridere cœpi & nihil timui, erant aliquæ præsentes, quæ me iuuare non poterant, & pro tanto tormento remedium nō inueniebāt, cū verbera essent crudelissima quæ corpori, capiti, & brachijs infligebat, sine eo quod aliquam potuerim facere resistentiam, & quod peius erat habebam inquietudinem intiorem, vt nullo modo quietari potuerim. Aquā benedictam petere non audebam ne astantibus timorem incuterem, & ne perciperent id quod erat. Per experientiam didici nihil esse, quod ita fugat Dæmones prout aqua benedicta, cuius magna est virtus. Inde particularem & manifestam percipio consolationem, quam anima mea sentit, cum illam accipio: quæ talis est vt verbis eam exprimere non possem, vt intelligar, vna cum interiori delectatione, quæ omnino animā meam confortat. In hoc non erro, nec mihi semel id accidit, sed s̄epissimè, & magna cum animaduertentia obseruauit. Ponamus casum, quidam manet in maximo calore sitibundus, & bibendo aquam frigidam, videtur totaliter refici sicutiam hic spiritualiter. Hinc considero magnum quid esse quod ecclesia ordinat, & non minimam inde habeo consolationem, videndo virtutem talem in illis verbis, quæ super aquam benedictam dicuntur contineri. Cum itaque tormentum, quod patiebar non cessaret, aquam

R 5 bene-

benedictam petij, illamque projiciebam ubi stabant, & in punto disparuit, & dolor cessauit, licet defatigata permanserim, ut quæ multa verbera sustinueram. Multum me iuuat videndo quod Dominus illi concedit licentiam corpus affligendi, licet nec anima aut corpus sub ipsis sit potestate. Sed quid non faciet quando sub ipsis totaliter erit dominio? Quadam alia vice stando in choro, magnus mihi euenit impetus, & ne quæ mihi astabant animaduerterent discessi, licet aliqua verbera sentirent, & prope me aliquos loquentes sentiebam quasi aliqua negotia tractarent, licet illa non intellexerim, cum orationi intenta sine aliquo timore permanserim. Accidit semel pridie omnium animalium, quod manendo in quodam oratorio, cum iam primum nocturnum absoluisset, & aliquas deuotas recitarem orationes, que in fine nostri breuiarij habeantur, venerit demonium & sedet supra librum, ut orationes absoluere non potuerim, verum me signo crucis signando abscessit, & tribus vicibus volens de nouo incipere, rediit, donec aquam benedictam acciperem finire non poteram, quo facto multorum animas vidi purgatorium exiuisse, quod ipse impedire conabatur. Vnum adhuc referam ex quo multum timui, manendo in raptu in festo Sanctissimæ Trinitatis in choro cuiusdam monasterij, vidi magnum inter dæmones & Angelos prælium, & intelligere non poteram quid illa visio significaret, verum post quindecim dies audiui

quan-

quandam litem exortam fuisse inter aliquas personas prophanas & orationi deditas, quæ magni damni causa fuit. Sed & hoc me supra modum angit, & inde excrucior, cum videam me ab aliquibus honestissimis, in estimatione haberi de me bene loquendo, cum nihilominus vitam Christi ac sanctorum considerando, per contemptum & persecutiones, videam illos omnes ad gloriam sempiternam peruenisse.

Hinc timeo ut nullibi comparere audeam, maximè cum mihi in publico eiusmodi raptus euenerint quibus cum resistere nō potuerim cū dēdecore remansi, vt comparuisse me puduerit, ex cuius rei euētu cum affligerer, Dominus mihi dixit. Ad quid timerem, cum vnum tantum ex duobus succedere posset, scilicet, vt de me vel homines non credendo murmurarent, vel suam Maiestatem credēdo laudarent, quodque ex ipsis duob⁹ non nisi lucrum expectarē, & ideo me nō debere affligi. Et sic consolata remansi. Verum tamen eo peruerterat tentatio vt cogitauerim ex eo discedere loco, & ad aliud mei ordinis monasterium, me conferre, in quo maior obseruabatur clausura, licet longius distaret, in quo tamen consolabar: inter ignotas enim manere desiderabam, verum meus Confessarius nunquam consentire voluit. Timor iste magnam mihi ademit spiritus libertatem, ex quo tanta seque retur mentis inquietudo, & hanc veritatem me Dominus docuit: Si enim in me fuisset resoluta & certa, credendo nihil in me esse boni quod meum

meum esset sed ipsius Dei , nullam mihi molestia intulisset, quando me ab alijs laudari audiuissem, non secus quam cum alias personas laudari intelligebam, ex quo multum gaudebam, & consolabar in illis cōsiderando quod Deus operabatur: & hoc modo etiam alijs molestum non fuisset videndo opera , quæ in me Deus faciebat.

Sua Reuerentia ex parte nunc discursum vītæ meæ nouit, quæ fuit partim cadendo, partim surgendo: & desideraram me bene posse id declarare: quia multi qui dum alas non habent & volare cupiant miserè decipiuntur. Quidam enim maximo cum desiderio & feroore incipiunt, resoluendo sese velle in virtutibus progredi; quidam verò quantum ad exteriora omnia relinquunt, vt virtutes acquirant; sed considerando aliquos excellentioribus præditos virtutibus quas illis concedit Dominus, quales ex nobis ipsis acquirere non possumus: voluunt & revoluunt libros de materia orationis & contemplationis tractantes , in quibus habentur , quæ facere debemus , vt ad talem dignitatem perueniamus, quam cum sese consequi non posse vident , nimium se ipsis affligunt. Verbi gratia: Pro nihilo habere si de nobis aliqui male loquātur, honorem parum curare, & similia quæ videntur esse contra nostram naturalem inclinationem. In eiusmodi maiorem debemus habere satisfactionē, quām si de nobis bene loquerētur: neque ex ipsis perturbari debent, sperent in Domi-

Domino, quia quod desiderant Dominus perficiet, faciendo ex eorum parte quod per bona opera & orationem possunt, nec debent ullo modo desperare, neque sibi quis nimium fidat licet videatur aliquam acquisuisse virtutem, facile enim decipi potest, quia dum sumus in hoc mundo in periculis versamur, nec ita in gratia confirmati sumus quin cadere possimus, vidi quandoque multos se in operibus pijs & sanctis exercentes, ut in eorum admirationem quam plurimos trahant nihilominus ita eorum reputant honorem, ut si quandoque in minimis laedi videatur, se vindicare volunt. Ad quid ô Domine eiusmodi anima adhuc in terra fixa manet? Quare non est in culmine perfectionis? Quid sibi vult ut opera diuina impedianter? O anima tu queris per orationem Deo placere & illi uniri, nec non Christi consilia sequi, qui contumelijs fuit affectus per testimonia falsa: & tu interim quaeris, ut honor tuus, tuaque fama & reputatio remaneat illæsa, & vindictam ex minimis sumere desideras? Est impossibile ut hanc viam ingrediendo ad perfectionem peruenias. Ad hoc propositum hic meam referam insipientiæ. Parum, ex mera mea negligentia, ut quæ vanitatibus magis dedita eram, sciui, quomodo secundum Breuiarij Rubricam in choro officium diuinum peragere & regere deberem, ubi nihilominus aliæ nouitiæ facile me instruere potuissent, verum eas interrogare non audebam, ne meam exinde cognosceret inscientiam. Verum post-

postquam Dominus me illuminare dignatus est,  
alias, licet scirem, interrogabam, non tamen  
propterea honorem meum perdebam.

## C A P. XXXII.

*In quo tractatur quo modo Dominus voluerit  
illam cum spiritu ponere in quodam inferni  
loco, quem propter eius peccata promerue-  
rat, & incipit referre quomodo constructum  
sit monasterium Sancti Iosephi in quo illa  
manet.*

**P**Osteaquam Dominus ex sua in me miseri-  
cordia prædictas gratias concessisset, quodā  
die in oratione persistendo, in vnico momento  
me in inferno constitutam inueni, vt mihi vide-  
tur, sine eo quod scirem quomodo voluit Do-  
minus ut viderem locum, quem mihi dæmones  
propter mea peccata præparauerant. Hoc quod  
dico factum fuit breui temporis spacio, attamen  
licet multis annis superuiuerem nunquam id  
tradere obliuioni potero. Eius introitus vt mihi  
videtur est in modum vici oblongi & strieti,  
& in modum furni, admodum profundi & ob-  
scuri, fundus eius videbatur, vt aqua lutoſa ad-  
modum turpis, odoris pestiferi, bestijs veneno-  
ſis & pessimis plenus, in fine, erat quædam con-  
cauitas in muro in modum armarij, in quo stri-  
ctè detineri videbar, sed tamen in comparatio-  
ne illius quod ibi sentiebam delectabile videba-  
tur. Quod hactenus dixi adhuc non videtur  
mihi

mihi bene declaratum, sed vt illud quod sequitur declarari possit, videtur nullum posse dari principium, vt exprimatur quomodo sit, cum neque intelligi possit. Ignem in anima sentiebam, & nescio quomodo referre possim qualiter fuerit. Dolores erant corporales insupportabiles, & cum in hac vita sustinuerim, vt medici dicunt ex grauissimis, quæ inueniri possunt, vti fuerunt quando omnes mei nerui contraherentur, & illi quos dæmones causabant, omnes isti in comparatione illorum nihil sunt, quos in inferno sentij, considerando tales esse, vt sine fine sint, & nunquam cessare debeant.

Isti etiam nihil esse videntur in comparatione animæ agonizantis, sentitur ibi quædam angustia; & suffocatio vna cum desperatione, & sensibili cordis afflictione, ita quod exprimere non possim. In hoc totum consistit cum non inueniatur modus quo ignis interior describi debeat, nec non ipsa desperatio, quæ omnia tormenta & dolores excedit. Non videbam, qui me istis doloribus afficeret, sed sentiebam me comburi, & in partes diuidi, prout mihi videatur, & dico quod ignis ille & interior desperatione sit peior, ex quo manet in tali loco pestifero vbi nulla est spes alicuius consolationis. Non est ibidem lux sed tenebræ obscurissimæ, & non intelligo quomodo id esse possit; cum lux non sit, nihilominus omne quod est aptum ad augendam pœnam visui, omnino videtur. Noluit Dominus vt tunc totum viderem infernum. Postea

stea verò in quadam visione terribilia' vidi , & quomodo aliqua vitia castigantur. Quantum ad visum attinet mihi terribilia videbantur, sed non sentiendo pœnam, non tanto afficiebat timore , sed in ista visione prima voluit Dominus, ut verè sentirem illa tormenta , & afflictiones in spiritu: quasi in ipso passa fuisse corpore. Nescio quomodo istud fuerit, sed bene cognoui maximum fuisse Domini fauorem, qui voluit, ut meis oculis viderem locum ex quo persuam misericordiam me liberauit, quia nihil esse videtur cum talia audimus vel cogitamus: nā si dæmones me hic diuersis affligerent instrumentis, nihil sunt in comparatione istius pœna, cum admodum sit diuersa , & est differentia quanta est inter retractum & veritatem , & ardor ignis hic non est comparandus cum eo qui ibi est. Expauesco verè dum hæc scribo , licet sex sint anni elapsi , quod hæc visio mihi demonstrata fuit, ita quod mihi ex timore nunc quasi deficiat calor naturalis. Supra modum miror quod illam pœnam non timuerim neque æstimauerim prout est, cum in multis libris de pœnis inferni legerim. Sed quomodo putas, poteram ex aliquare consolari quando conducebar ad ejusmodi locum horrendum & miserabilem? Sis tu ô Domine in æternum benedictus, qui me magis amasti quam ego memetipsam: liberando me toties ex carcere illo tenebroso, in quem me contra tuam voluntatem toties conieci. Mea etiam hinc augebatur pœna, considerando

tot

tot indies perire animas maximè Lutheranorum, qui olim per baptismum fuerant Ecclesiæ membra. Vnde maximum in me sentio desiderium illos iuuandi ut conuertatur, quo ab eiusmodi pœnis liberari possent. Considero enim nos ad commiserationem commoueri si aliquem nobis in hoc mundo charum in aliquo dolore & afflictione constitutum videmus: & nos ipsi tum maximè affligimur. Quid non fiet si anima sempiternis videatur tradi suppliciis? nec non tot animas per dæmones ad infernum deduci? Ex parte nostra facere debemus, vt nulla pereat, faxit Deus per suam in nos misericordiam, vt ita fiat, itaque per Dei amorem fugiamus omnes occasions, nam Deus semper ad adiuuandum est promptissimus, faciatque mecum misericorditer ne amplius cadam, Amen.

Postquam verò Dominus talem mihi locum demonstrasset, & nonnulla alia, nec non gloriā quæ iustis, & pœnam peccatoribus præparat, tenet, omnem quæsiui modum faciendi pœnitentiam, occasions fugiendo & à mundo me separando. Spiritus enim quietari non poterat, licet illa inquietudo mihi molesta non esset, sed erat gustus à Deo proueniens, habens digerendi cibos crassissimos calorem. Proposui secundum Dei vocationem qua me ad religionem vocauerat, seruare regulam maiori cum perfectione qua possibile esset. In meo monasterio erant multæ religiosæ Deo addictæ illi sincere inservientes, attamen occurrente necessitate quan-

S

doquæ

doque exire cogebantur, vbi cum honestate & religionis decoro manere poterant, quia illud non erat fundatum secundum rigorem primæ institutionis, sed viuebant secundum Bullam qua aliquantulum erat mitigata, & cum monasterium esset amplum, & pulchrum nonnullas habebant recreaciones, & commoditas illa ex-eundi licet rarius exire, fuit in me causa magnæ distractionis: nam q[uod] plurime personæ delectabantur mecum conuersari, & cum satis importunæ essent desiderando meam presentiam, Prälati sine mei superiores mihi demandabant, ut ilias accederem: & si ita perseuerassim, parum in monasterio permansissim: & dæmonium ex parte adiuuabat, in eum finem ne domi manerem, nam domi manendo, & cum aliquibus religiosis & pijs monialibus conuersando ab illis instruebar, & satis proficiebam. Accidit quadam vice ut mecum quædam persona loquendo mihi diceret. Quod si serio nos vellemus resolute de ingrediendo aliquam religionem, nos facile posse monasterium construere in modum monialium discalciatarum, ego verò ut quæ multo tempore fueram in tali deliberatione de hoc negotio tractare incœpi, cum Domina illa vidua de qua ante dixi: quæ idem nobiscum habebat desiderium, & statim cogitauit qua ratione eum in finem prouentus aliquos consignare posset: & vñanimiter conclusimus, ut hoc negotium magno cum feruore Deo committeremus. Quodam die post communionem strictè mihi sua

sua præcepit diuina Maiestas, vt ego omni quo possem modo illud construi curarem, multa mihi promittendo, quodque adiuuaret vt construeretur, & voluit vocari Sancti Iosephi, qui vnius portæ esset habiturus curam, alterius gloriofa virgo Maria Domina nostra, & quod sua Maiestas in eodem bene inseruiretur & Christus nobiscum mansurus, quodque ex eo stella quædam esset oritura, ex qua ingens prodiret splendor, nam, inquit, quid mundus esset si nulli essent religiosi? Insuper mihi præcepit, vt hæc meo confessario referrem, & nihil contra hoc præceptum moliretur, aut impediret. Visio illa & loquendi modus, quo mihi Dominus loquebatur, tantum in me habuit effectum, vt minimè dubitare potuerim quin verè ipsemet Dominus esset, qui loquebatur. Hæc audiens magnam in me sentij pœnam, vna enim ex parte mihi repræsentabantur molestiæ, quæ inde essent subsecuturæ, deinde quia in eo monasterio satis contenta eram, nam licet prima vice de construendo monasterio tractassemus, nihil tamen conclusum erat & determinatum, vt ædificari deberet. Hic certum mihi proponi videbatur premium, nihilominus animaduertendo rem magnæ esse inquietudinis, in dubio versabar, quid facere deberem. Verum sapientius Dominus mihi de eo loquebatur, proponendo rationes ex quibus facile comprehendere poteram eius plane esse voluntatem vt construeretur, nec alter facere audebam, quin meo Confessario ea-

S 2

dem

dem referrem, tradendo ipsi in scriptis quæ cōtigerant. Non audebat absolutè contradicere, sed quia ( more humano loquendo ) videretur extra propositum, ( cum in nostra societate nulla esset possiblitas tale quid perficiendi, ) dixit quatenus hoc negotium Patri Prouinciali insinuarem. Ego verò visionem illam Patri Prouinciali meo non retuli, verum Domina illa vidua de construendo tali monasterio cum illo tractauit. Prouincialis autem, vt qui in omnib<sup>9</sup> bonis operibus suam operam ac fauorem libenter prestabat, concessit vt construeretur: quodque illud sub sua protectione acceptare vellet. Antequam verò aliquid inciperemus, scripsimus Patri Petro de Alcantara, eum certiorem faciendo de omnibus, quæ acciderant, qui consiliū dedit ne aliquo modo intermitteremus, dādo nobis in omnibus suum iudicium. Vix aliquid inceperamus & ecce magna vnde persecutiones sunt exortæ, nos irridendo, & dicendo quod res esset extra propositum. Magnam inde sustinui persecutionem & afflictionem vna cum Domina illa vidua. Nesciui quid ultius factio opus esset, ex vna enim parte mihi videbatur quod iustum haberent rationem, vnde remanendo afflita me Deo commendabam, & sua Maiestas diuina me confortando consolabatur, & dicebat, vt diligenter considerarem quāta passi sint sancti, qui religionum fuerunt fundatores, quodque maiores quam ipsi persecutiones pati deberem, & quod eas curare non debarem

berem, & quædā mihi dixit, vt eadem prædictæ viduæ referrem. Consolatæ omnino remansi-  
mus cum animo constanti omnibus resistendi,  
qui monasterij fundationem impedire con-  
tentur, cum vix aliquis ibidein esset, qui nobis  
non resisteret, & tot erant rumores & contra-  
dictiones vt Prouincialis coact⁹ sit mutare sen-  
tentiam nolendo amplius monasterium acce-  
ptare. Nos itaque ex tali resistentia magnum  
concepimus dolorem, ideoque quām maximè  
cum etiam ipsum Prouinciale nobis habere-  
mus contrarium, quo nolente ego apud omnes  
eram extra culpam. Verum Confessarius viduā  
meam sociam absoluere nolebat nisi à proposi-  
to desisteret, cum exinde omnibus, vti ipse dice-  
bat, scandalum præberet. Illa verò quendam  
doctum virum Ordinis Sancti Dominici adiit  
atque ea quæ acciderant retulit, & hoc antequā  
Prouincialis monasteriū recusasset, nemo enim  
apud nos sententiam ferre volebat, affirmando  
ex nobis duabus omnia prouenire. Hæc vidua  
cum eodem Patre per efficaces rationes egit de-  
prouentibus consignandis, cum desiderio vt il-  
lam adiuuaret, cum omnium propè esset doctif-  
mus, eidem retuli quæ factō opus essent assignā-  
do certas rationes naturales, quæ me ad hoc mo-  
uebant, nihil tamen de reuelationibus eidem di-  
cendo. Hic verò vt mature respondere posset,  
octo dierum dilationem petiit, scire prius cu-  
piens num de construendo monasterio resolute  
essemus. Respondi quod sic. Sed licet dixerim

S. 3

quod

quod sic & mihi videatur quod ita fecisse: nihilominus aliqualiter mihi videbatur futurum, ut non deberet construi. Verum vidua illa multò me constantior erat, resoluendo ut omnino fieret,

Prædictus vero Pater, qui respōdendi curam in se ipso sumpserat, voluit, vt ab incepto negotio desisteremus, idque propter rumorem populi, qui ad eius aures peruererat: & quia sibi extra propositū videretur nos eiusmodi monasterium velle construere, sicuti etiam omnes alij iudicabant, vtque omnino impediretur misit ad nobilem cuius ante mentionem fecimus, ipsi indicando ne nos adiuuaret, quodq; bene pependet negotium quod facere intendebamus. Verum ipse constanter affirmabat pro maiori Dei gloria & honore omnino esse construendum, & voluit, vt ita cōcluderemus, & modum præscripsit quomodo fabricari deberet, licet tunc modica fuerit facultas. Et ideo in Deo esse confidendum, contradicentibus vero & illis qui resistere niterentur ipse met respondere voluit, & sic semper nobis suum præstítit fauorem & auxilium. Remansimus itaque omnino consolatæ videndo nonnullos, qui contradicere solebant mitiores factos, eosdemque nos in extruendo monasterio adiuuare.

## CAP. XXXIII.

Prosequitur materiam prædictam, de fundatione scilicet monasterij Sancti Iosephi.

ITAQYI

Itaque cum negotium esset concludendum  
& sequenti die litteræ de super essent confir-  
mandæ aduenit Pater Provincialis, & animum  
non sine instinctu diuino mutauit, sicuti postea  
apparebit. Vbi verò prædictus Pater recusasset  
illud monasterium acceptare, statim meus Con-  
fessarius mihi præcepit ne in posterum ad eius  
fundationem attenderem. Vnde nouit Dominus  
quantas habuerim molestias & afflictiones:  
Itaque dum sic relinqueretur imperfectum, iu-  
dicabat populus mulierum quoddam fuisse de-  
liramentum: & contra me supra modum mur-  
murabat, & quæ in meo erant monasterio mihi  
male volebant, eo quod ad eorum ignominiam  
tentasse strictiorem introducere clausuram,  
vti dicebant, & quod in eodem potuerim bene  
Deo inseruire, sicut aliae quæ me longè meliores  
essent, vnde dicebant se colligere, me paruum  
erga meum monasterium habuisse amorem,  
quodque melius facerem prouentus pro eodem  
procurando quam pro aliquo alio construendo.  
Aliquæ volebant ut carceribus traderer, & non  
nullæ mihi fauere videbantur, licet paucæ tales  
essent. Me aliquoties coram illis excusabam,  
licet causam quæ me mouebat publicare nolue-  
rim, quæ erat mandatum diuinum, & sic nesciæ  
quid factò opus esset tacebam, & Dominus inte-  
rim alias mihi conferebat gratias, ita quod pro-  
pter illarū dicta minime molestarer, id quod vix  
credere volebat, putantes me inde multum affli-  
ctam nec nō verecundia & pudore affectā, & sic

etiam meus Confessarius credebat. Ego vero, cum meo quidem iudicio, fecissem quod poteram, iudicabam me ad illa quæ mihi Dominus mandauerat vterius non obligari, & sic in meo remanebam monasterio admodum bene contenta. Interim tamen postea nonnihil affligebar ex eo quod mihi meus Confessarius scribebat, nimirum ut pro certo mihi persuaderem nihil aliud quam somnium fuisse, & quod in posterum cautius procederem ac me emendarem, & in nullo consentirem, nec in posterum eorum aliquam facerem mentionem, propter euidentissimum scandalum inde ortum, nec non inconuenientia multa quæ pœnam promerebantur, & punitione digna erant. Ex quibus maiorem fentij pœnam quam ex omnibus alijs, cum iudicarer me dedisse causam quod Deum offendirent, vnde dubitare incœpi num prædictæ visiones fuissent forte illusiones, & imaginabar quod meæ orationes fuissent deceptions, & non parum exinde affligebar. Verum Dominus me consolari dignatus est, dicendo quod in hoc negotio ipsum non offenderim, insuper mihi præcepit, ut facto exequerer, quæ meus Confessarius dicturus esset, vtque tacerem quousque illud negotium perfici deberet. Remansi planè consolata, & omnes persecutions pro nihilo reputabam, instruxit enim me Dominus, quantum valeat propter eius amorem persecutions pati, amor namque Dei in anima mea ita creuit, ut summopere mirarer, & hæc fuit causa ut deinceps

incep̄s non nisi molestias desiderauerim , & alij interim imaginabantur me afflictam & pudore affectam , & ita etiam fuisset si Dominus in illa afflictione extrema suam gratiam & fauorem mihi non concessisset. Maiores tunc sentij amoris Dei impetus & raptus , licet nemini aliquid dicerem. Pater ille Sancti Dominici non sibi persuadere pro certo potuit , vt hoc negotium suum sortiretur effectum , sicuti ego , nihilominus tractauit de eo cum vidua illa Romam scribendo & modum designando : Ego verò ne viderer facere contra voluntatem mei Confessarij amplius non attendebam. Interim Dæmonium fese etiam hic intromisit , vt monasterij foundationem disturbaret , dicere enim incep̄runt me quandam in causa huius negotij habuisse reuelationem , & ad me veniebant magno cum respectu & timore , dicendo tempora modò esse suspecta & periculosa : & quod aliqui mihi resistere possent , similia Inquisitoribus referendo. De eo ridere cœpi , & pro nihilo habui , quia in eiusmodi casu nunquam mihi timui , sciens pro certo quod in rebus fidei nunquam dubitaverim , quodque pro tuendis omnibus , quæ ad Ecclesiam pertinent , millies potius mori desiderassem quam in minimo contradicere , quia magna animæ meæ perditio esset si in minimo fidei articulo inquisitionem timere deberem. Tractabam illud cum prædicto Patre Sancti Dominici , ipsi declarando omnes visiones & modum quem in oratione tenebam ; referendo eidem

S 5 gratias

gratias mihi à Domino concessas , maiori cum claritate qua poteram, eumque rogaui ut singula bene consideraret: & mihi significaret, si forsitan aliquid contra sacram scripturam esset, & quid iudicaret de singulis , quæ ipsi retuleram. Verum me securam reddidit , & ipsi hoc multum meo quidem iudicio profuit : quia ab eo tempore omnino addictus fuit orationi , vtque eo melius sese exercere posset, ad aliud sui ordinis monasterium se contulit in quo maior erat solitudo, & ibidem ultra duos annos permanxit, verum dum ipsius indigerent opera per obediētiām reuocatus fuit. Ego verò per sex menses de construendo monasterio nihil dixi, sed neque Dominus mihi quicquam vterius mandauerat, cuius rei causa me latebat, nihilominus aliter mihi persuadere non poteram quin fabricari deberet. Eodem tempore cum hinc discessisset Pater Rector Societatis Iesu superuenit alius Confessarius pius & doctus, qui desiderabat vt in hoc negotio procederet, nihilominus in aliquibus se propter alias urgentes rationes resoluere non audebat. Sentiebam tunc magnos impetus spiritus quasi ligata essem , idque non sine pœna: nihilominus exequabar quod mihi mandabat. Quodā die cum in magna essem afflitione, dixit mihi Dñs ne affligerer , breui enim futurū esse et pœna illa sese remitteret, vnde gaudebam multum cogitando me breui fore morituram. Intelligens verò Patrem Rectorem rediisse pœna illa sese remisit, nunquā enim meo Con-

Confessario contradicere solitus erat: qui visitā-  
di causa ad me venit, meus autem Confessarius  
mihi præcepit vt libere cum eodē tractarē itaq;  
locum Confessionis i ntrando quoddam Iubi-  
lum spirituale in anima mea sentij, & statim ani-  
maduerti in eo singulare Dei donum benedi-  
scernendo inter Dei spiritum & malignum, vn-  
de mirifice consolabar: & Dominus mecum vr-  
gere cœpit vt monasterij fundationem prose-  
querer, quodque meas rationes coram Rectore  
& meo Confessario allegarem, ob quas contur-  
bari non deberent. Conclusimus quatenus o-  
mnia secretè fierent, vnde procurabam vt foror  
mea quæ foris habitabat, quandam emeret do-  
mum, eamque fabricaret, quasi illi inseruire de-  
beret, idque ex pecunijs quas Dominus mihi de-  
derat, longum nimis esset referre quibus medijs  
sua Maiestas prouiderit. Multas in fabricando  
monasterio sustinui molestias, ita quod miror  
quomodo easdem perferre potuerim, memini  
quod quandoq; cum affligerer, dixerim: O Do-  
mine quare mihi eiusmodi mandas, quæ im-  
possibilia videntur? Cum sim mulier alijs sub-  
iecta, sine pecunijs, & sine aliquo medio quo  
Breue Apostolicum expedire possim. Et quid  
ego vlderius o Domine facere potero? Quadam  
vice in tali constituta necessitate, cum nescirem  
quid faciendum esset, neque soluere quod sol-  
uendum restabat, mihi apparuit Sanctus Iose-  
phus significans mihi nihil defuturum, quodq;  
cum operarijs conuenirem prout feci, ne vni-  
cum quidem habens denarium, & Dominus

mihi

mihi per talia prouidit media, vt mirarentur illi qui illa audiebant. Domus ista admodum erat parua vt non videretur monasterium esse, quædam alia huic erat vicinalicet parua ex qua Ecclesiam construere cogitabam, verum non erat emendi modus. Posteaquam verò communicaata quodam die essem dixit mihi Dominus: *Iam dixitibi, tu ingredere ut potes.* Et in modum exclamantis subiunxit. *O auaritia humanæ generationis, tibi persuades quod etiam terra tibi derit, quoties dormini sub dio, cum non haberem ubi requiescerem.*

Ego audiens illa, perterrita remansi, & id factum esse non sine ratione cognoui, domum enim cum essem ingressa, iustum videbatur monasterium & aliam emere amplius non curaui, sed illam simpliciter sine ornatu accommodare feci ita vt manere ibidem potuerimus. Ipso die Sanctæ Claræ dum irem ad communionem mihi apparuit admodum pulchra, & dixit vt constanter negotium monasterij procurando agerem, vnde magnam concepi deuotionem, quia promisit se velle fideliter adiuuare, & sic etiam factum est, nam cum vnum sui ordinis vicinum esset monasterium multæ moniales ad tales perfectionem deuenerunt, vt veram paupertatem obseruarint, sicut & nos obseruamus ex eleemosynis nos sustentando. Non paruam sustinui molestiam, in procurando confirmationem à summo Pontifice, vt nunquam prouentus aliquos habeat. Et sua diuina Maiestas nobis omnibus

omnibus prouidet necessarijs sine eo quod ali-  
quid petamus, & credo id fieri per intercessionē  
istius sanctæ. Sit Dominus in æternum benedi-  
ctus, Amen.

In festo Assumptionis beatissimæ Mariæ vir-  
ginis, manendo in quodam monasterio Sancti  
Dominici & in memoriam reuocando peccata  
quæ in eodem tempore præterito cōfessa eram,  
venit mihi ex improviso raptus tam magnus ut  
plane viderer in extasi esse. Statim composui me  
ut federem, & vix poteram in sacrificio Missæ vi-  
dere eleuationem: eo modo manendo videbar  
vestiri vestimentis supra modum candidis &  
splendidis, & in principio non vidi qui me ve-  
stiret, sed postea vidi nostram Dominam ad dex-  
tram & Sanctum Iosephum ad sinistram qui me  
vestiebant, & in illo actu mihi significatum  
fuit, quod à peccatis fuerim mundata. Simul at-  
que ita vestita essem, dixit mihi nostra Domina,  
se summopere esse contentam ex eo quod stu-  
duerim in hoc inseruire Sancto Iosepho, quod-  
que eius intercessione essem imperatura à Deo,  
quicquid circa fundationem monasterij pete-  
rem, & quod eius filius nobiscum esset mansu-  
rus. Quodque in testimonium totius veritatis  
hanc mihi gemmam donaret. Videbatur post-  
modum in cœlum maxima cum Angelorū mul-  
titudine assumi, ita quod admodum remanserim  
consolata & per orationem vñita, & ex maximo  
Dei amore consumi videbar, & tales eius fue-  
runt effectus ut nullo modo dubitare possim  
quin

qui eiusmodi raptus à Deo fuerit , sit nomen  
eius benedictum, Amen.

## C A P . X X X I V .

*In quo tractatur quomodo ex mandato sui su-  
perioris accedere debuerit quandam Domi-  
nam in afflictione constitutam , ut eandem  
consolaretur.*

**P**RÆDICTA ita fieri non poterant quin pas-  
sim publicarentur , quidam credebant alij  
verò minime, interim tamen timebam ne reuer-  
tendo Pater Prouincialis , mihi præciperet , ne  
me in isto negotio intricarem , sed Dominus  
Deus optimè prouidit. Contigit enim quod  
quædam Domina magnæ authoritatis ab hinc  
per viginti milliaria , & ob mortem sui mariti ita  
esset afflita, vt etiam de eius salute dubitaretur.  
Mei ex aliorum relatu notitiam habebat , & illi  
plurimum Pater Prouincialis fauebat. Summo  
illa me videndi tenebatur desiderio, & à Prouin-  
ciale petijt, vt me eo mitteret , quod etiam fecit  
mihi in meritum salutaris obedientiæ præcipi-  
endo, vt me vna cum alia moniali eò conferrem.  
Certior de eo facta ipsa Natiuitatis Dñi nocte  
aliqualem sentij pœnam, nihilominus dixit mi-  
hi Dominus, vt me eò conferrem , atque ita ex-  
pedire quousq; breue Apostolicū expediretur.

## C A P . X X X V .

*Tractatur hic de fundatione predicti monaste-  
rii Sancti Josephi. Refert modum quo Domi-  
nus*

nus voluit paupertatem in eo seruari, &  
ob quam causam à prædicta Domina di-  
scesserit & alia quædam, quæ ipsi euene-  
runt.

**S**TANDO in ædibus prædictæ Dominæ vltra  
medium annum disposuit Dominus, vt meæ  
personæ notitiam haberet quædam beata nostræ  
religionis, distans ab eo loco plasquam septua-  
ginta miliaribus, quæ ad me venit vt mecum de  
aliquibus rebus conserret, fuerat illa eodem an-  
no & mense à Domino admonita, vt ordinis no-  
strifundaret monasterium: & tali desiderio mo-  
ta, omnia quæ habebat vendidit, vtque ex Ro-  
ma expeditionem obtinere posset eò nudis pe-  
dibus est profecta, & cum magnam perageret  
pœnitentiam & orationi dedita esset magnum  
illi Dominus contulit fauorem, cui glorioſa vir-  
go apparens, vt eiusmodi fundaret monasteriū  
mandauit. In diuino ministerio ita profecerat,  
vt me puduerit quod me in tantum præcellue-  
rit: Literas quas ex Roma secum portauerat mi-  
hi ostendit, & in quindecim diebus quibus si-  
mul mansimus, disposuimus quomodo ista mo-  
nasteria fieri deberent: ex illa prius didici quâ-  
liter regula nostra antequam retaxaretur, man-  
dauerit vt proprium non haberemus, sed neq;  
illud sine prouentibus fundare cogitabam, cum  
mea intentio fuerit qualiter rebus necessarijs  
non incumberemus, interim non considera-  
bam, quod, (habere proprium, infinitas secum  
adferret

adferret distractiones, verū benedicta illa mulier, quæ legere nesciebat, multò melius illa intellegebat cum à Domino edocta esset, quam ego, quæ Constitutiones legendō adhuc ignorabam. Cùm itaque de eo me certiorem reddidisset mihi placebat, licet dubitauerim quod alię in hoc mecum consenire non deberent, sed potius obijcere illud fore extra propositum, quodque nihil inciperem vnde aliæ mei causa patideberent, cum ego sola essem: attamen multum mihi placebat Domini nostri Iesu Christi consilium, & maximum paupertatis habebam desiderium, ita quod non dubitauerim quin melius esset, & à multo tempore ire mendicatum desideraueram, sed dubitabam, ne casu quo Dominus tale desiderium alijs non daret malè contentæ viueret, quod tum illis causa alicuius distractionis fuisset; quia aliquot monasteria vividebam pauperrima non admodum bene ordinata, & non considerabam quod illorum pauperas inde proueniret quia non admodum restricta erant: & quod eiusmodi distractio ex paupertate non prouenerit, qualem ditiora monasteria non habebant. Deus enim nunquam illis deest qui illi sincerè inferuiunt. Itaque parua in me confidentia erat, maior autem in illa, & ego ab alijs consilium sumens non inueni, qui mecum eiusmodi esset intentionis, sed neque mei confessarij id suadebant, neque alij multili-  
cet doctissimi essent quibuscum in hoc casu tra-  
stabam. Tantas mihi allegabant rationes, vt  
nesci-

nescuerim quid tenere deberem, ex vna parte cognoscebam regulam ita præcipere, & videbam in tali paupertatis obseruantia maiorem consistere perfectionem, itaque persuadere non poteram, vt prouentus acceptaremus, & quamuis ex aliorum rationibus viderer superata & conuicta, nihilominus dando me orationi, & vivendo Christum ita nudum cruci affixum, prouentus ferre non poteram, & flendo me ad pedes crucifixi prostrabam supplicando quatenus efficere dignaretur, vt sicuti ipse in paupertate vixerat ita & nos deinceps viueremus. Magna mihi inquietudinis & distractionis præbuit occasionem, cum indies circa hanc materiam cum doctissimis quibuscumque disputandum esset. Scripsi cuidam Patri Ordinis Sancti Dominici, in hoc casu ab eodem consilium postulando. Rescripsit & pluribus rationibus ex Theologia probauit, prouentus esse acceptandos: quodque hunc casum bene examinasset. Respondi me nolle ex Theologia præualere, neque suam doctrinam mihi in hoc casu fauere, quo minus sequi meam vocationem deberem, & votum Deo à me factum de paupertate obseruanda, sequendo cum omni perfectione Christi consilium. Domina illa cū qua manebā me summopere in hoc casu iuuuit. Quidam à principio expedire iudicabant, non acceptare prouentus, attamen paulo melius, (ipsorum iudicio) considerando, tanta inuenerunt inconuenientia, vt ipsorum mutauerint opinionem. Quibus respōdi, quod,

T

licet

licet modo aliter quam prius sentirent, primum eorum consilium serio acceptasse. Eodem tempore ad meam petitionem eo venit Pater Petrus de Alcantara, quem praedicta Domina nunquam viderat, qui cum paupertatem multis annis obseruasset, optimè nouerat quantum in eius obseruatione situm esset, & ideo mirabiliter me iuuit, suadendo ne à primo proposito deficerem: itaque eius, ut qui longam habuerat experientiam secuta sum consilium. Quodam die in causa huius negotij me Domino commēdando mihi dixit, quatenus cum paupertatis obseruantia fundaretur, cum talis esset Dei patris voluntas & sua. Raptus ille cum tali fuit effectu ut nullo modo dubitauerim, quin à Deo esset. Non minus admiratione dignum videtur quod etiam praedictus Pater Sancti Dominici suam mutauerit sententiam eodem fere tempore cōtrarium suadendo ne scilicet prouentus acceptaremus. Cum circa idem tempus instaret elec̄tio Priorissæ Pater Provincialis, meo reliquit iudicio ut vel cum praedicta Domina ad certum tempus remanerem vel domum redirem, verum Dominus mihi dixit ne prætermitterem quo minus domum reuerterer, & ita factum est.

## C A P. XXXVI.

*In quo prosequitur quomodo fuerit conclusum,  
ut monasterium Sancti Iosephi fundaretur,  
& refert contradictiones & persecutions  
quas*

*quas sustinuit quando nonnullæ religiosæ  
habitum suscepissent, & qualiter Dominus  
illam ex omnibus ad maiorem suam glo-  
riam cum victoria liberauerit.*

**D**O M V M reuersa eodem vesperi mihi præsentatum fuit breue Apostolicum, vt monasterium fundaretur, de quo mansi stupefacta, & omnes mirabantur, cum audirent quod à Dominio fuerim admonita, vt domum redirem. Reperi ibidem Episcopum vna cum Pater Petro de Alcantara, nec non nobilem illum de quo ante dixi, in cuius ædibus prædictus Pater hospitabatur. Ambo obtinuerunt ab Episcopo, vt monasterium sub sua protectione acceptaret, quod libenter fecit licet pauperrimum esset, Pater Petrus licet infirmus esset multum in hoc negotio laborabat, & videtur quod Dominus voluerit, vt tantisper viueret quo usque expeditur, nam paulo post mortuus est. Omnia secretè tractabantur, nam si populus sciuisse, vix ad effectum perduci potuisset, vti facile collegi poterit ex illis, quæ postea successerunt. Disposuit Dominus vt meus cognatus infirmaretur, & eius vxor procul abesset, hinc mihi data fuit licentia apud eundem manendi, & hac occasione nihil audiebatur licet aliqui suspicarentur, sed non credebant. Mirabile fuit vt diutius non remanserit infirmus quam prototius negotij conclusione necessè foret, & restitutus tam cito fuit pristinæ sanitati, vt etiam & ipse miratur,

retur, nam in eo multum consistere videbam, ut citissimè fabricaretur, quò formam monasterij haberet; idque propter diuersas rationes, quarum vna fuit, quia timebam ne per superiorum obedientiam reuocari deberem. Tandem omnibus per ordinem bene dispositis placuit Dominus, vt in die Sancti Bartholomei aliquæ induerent habitum, quodque cum omni autoritate, & solennitate in eodem sanctissimum sacramentum reponeretur. Constructum fuit hoc nostrum monasterium Sanctissimi Patris Sancti Iosephi anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, quo anno fui præsens dando predictis monialibus habitum, vna cum duabus alijs, quæ erant ex alio nostro monasterio. Omnibus ritè peractis, inde post tres aut quatuor horas, multùm à dæmonio tentata fui, proponendo mihi si vel benè vel malè fecisset, & vtrum in hoc contra obedientiam peccasset, procurando eiusmodi sine expresso mandato Prouincialis, cui forsitan displicere poterit eo quod illud monasterium tradiderim ordinario fine ipsius scitu & licentia, eò magis cum ipse etiam consentire noluerit vt fabricaretur, verū ex altera parte mihi persuadebam quod Pater Prouincialis parum de eo curaret. Item in mentem mihi venit, vtrum illæ permanerent contentæ eo quod ita strictè viuere deberent, si ad māducandum ad sufficientiam essent habituæ. An illud factum esset extra propositum, necne, & quis mihi hoc persuasisset, cum prius in alio fuerim

fuerim monasterio professa. In tali existens tentatione, omnia quæ mihi Dominus ordinauerat, nec non & orationes solitas obliuioni tradidi, tantum in prædictis discurrendo, & tunc omnes virtutes suspensæ remanebant, ita quod nihil operari potuerim, neque contra prædictas tentationes me defendere. Item dæmonium mihi suggerebat. Ad quid me voluerim in monasterio angusto constringere relinquendo amplum & ornatum in quo cum magna mea satisfactiōne manebam, in quo charissimæ meæ essent sorores, & hic tales quæ secundum meum gustum non essent: maximè cum plerunque fuerim aduersa valetudine, quodque me ad tam ardua obligasset, vt exinde fieri aliquando possit, vt in desperationem incidem: cum verisimile esset quod tantam sustinere pénitentiam nō possem; quodque diabolus mihi eiusmodi suggestisset, inuidendo mihi animæ meæ quietem. Hæc & similia mihi in mentē venerunt, vt ad alia attendere nō potuerim, & superuenit in anima mea tanta afflictio & mentis hebetudo, vt eam minime exprimere possim. Itaque quando me in tanta afflictione constitutam animaduerterem, sanctissimum sacramentum videre cupiebam, licet meipsam Deo commendare non possem: tanta enim erat angustia, vt viderer in mortis agone constituta esse. Non audebam cum aliquo tractare quia ibidem ordinarium Confessarium nō habebam. O Deus quām est vita præfens instabilis & misera, vbi nulla est securitas tuta, nec

T 3 quic-

quicquam sine mutatione: paulo ante latabar ita quod cum nemine mortalium conditionem meam commutare voluisse: & eadem latandi occasio tantæ angustiæ causa extitit, ut quod me vertere deberem plane nesciuerm.

Proh dolor, si nos attentè consideraremus vitæ præsentis statum, videret unusquisque & per experientiam disceret, quām parui sint momenti & æstimationis huius vitæ bona temporalia. Hæc tentatio maxima omnium fuit, sed Dominus me in eadem nō diu pati permisit quin succurreret, me enim ita illuminauit, ut clare cognoscere potuerim diabolicam fuisse tentationem, & sic in mentem reuocare cœpi deliberationem, qua Deo inseruire & pro eo pati constueram, quam adimplere optabam, nullam in hoc mundo quietem quærendo, vnde me coram sanctissimo sacramento prosternens, promisi me daturam operam quatenus licentiam obtingerem, quo strictam clausuram bona cum conscientia in hoc monasterio seruare possem, quo facto dæmonium me intentatæ reliquit, & quieta remansi & contenta, faciendo circa pœnitentiam & clausuram sicut & reliquæ faciunt de quo mirantur qui meas nouerunt infirmitates. Benedictus sit qui omnia præstat, & in cuius potestate omnia possumus. Remansi ex ista tentatione admodum defatigata, ridendo cum cognoscerem dæmonium fuisse. Credo quod Deus ita permiserit, quia haec tenus nunquam comprehendere potui, quā graue malum sit quando

Monialis

Monialis aliqua male est contenta, quia in vi-  
ginti octo annis eiusmodi malum mihi nō eue-  
nerat, ex quo me Dominus liberauit, & hanc  
mihi temptationem euenire Dominus permisit ut  
eas consolarer, atque cum eiusmodi compassio-  
nem haberem qui similia patiuntur. Quibus  
ita peractis volens post prandium requiescere  
paulisper, tota enim nocte vix dormieram, & to-  
to die laborando defatigata eram, cum in meo  
monasterio & ciuitate innotescerent omnia su-  
pradicta, Priorissa statim me vocari iussit, præ-  
cipiens ut celeriter ad eam venirem. Ego verò  
ex obedientia eo me contuli meas moniales re-  
linquendo admodum afflictas & perturbatas.  
Satis animaduerti multas adhuc superesse mole-  
stias, verum cum monasterium esset constructū  
parum eas curabam. Me Deo commendabam,  
& Sanctum Iosephum rogabam ut sua interces-  
sione impetraret quo hucredirem. Eo me con-  
tuli, serio mihi persuadendo quod deberem in-  
carcerari, quod sane factum fuisset cum mea sa-  
tisfactione ex quo nonnihil requiescere deside-  
rabam & cum nemine loqui. Simul atque eò ve-  
ni, Priorissa audiens meas rationes aliquātulum  
fuit placata, & ipsa vna cum alijs causam deter-  
minandam Patri Pouinciali reliquerunt. Quo  
præsente ad Capitulum vocata dixi meam cul-  
pam (pati propter Christum desiderando) non  
iecus atque in multis essem culpabilis, sicuti  
videbatur illis qui causam ignorabant, & sic  
acriter fui reprehensa, non tamen tanto cum ri-

gore vti peccata mea promerebantur , interim  
petij vt mihi ignoscerent , vtque me castigarent  
rogando ne mecum remanerent malè contentę.  
Attamen satis animaduerti quod me in aliqui-  
bus sine culpa condemnarent , dicendo me om-  
nia fecisse , vt ab hominibus in magna haberer  
existimatione , & alia similia multa , erant quę di-  
cebant . Quomodo in alio monasterio maiorem  
poteris seruare ordinis disciplinā , cum apud nos  
sint quędā meliores & sanctiores q̄ ego essem , &  
magis peccarem q̄ reliquæ ? Obijciebant quod  
populū scandalizasse , & causa essem alicuius  
nouitatis . In prædictis oib . nullam sentij penam ,  
licet aliter demonstrauerim , ne viderer parum  
curare quę dicebantur . Ultimo demandatū mihi  
fuit , vt in præsentia aliarum monialium dare ra-  
tionem omnium , quæ feceram , id quod etiā feci  
sine aliqua molestia , & in hoc me Dominus iu-  
uit , & talem dedirationem , vt neque Prouincia-  
lis neq ; moniales inuenerint causam quare me  
cōdemnare possent . Patri Prouinciali paulo cla-  
rius postea loquebar , ita vt ipsi satisfecerim , &  
promisit se mihi daturū licentiā in nouo mona-  
sterio manendi vbi rumores populi cessassent , q̄  
maximi erant vti iam dicā . Post duos vel tres . n.  
dies congregabantur nonnulli ciuitatis guber-  
natores & rectores vna cū Ecclesiæ Capitulari-  
bus vnanimiter dicētes sese nullo modo cōsen-  
tientes , vt monasterium remaneat , vidēdo exin-  
de reipublicę imminere magnum detrimētum ,  
& insuper sanctissimum sacramentum auferre  
vole-

volebant. Curaui ex omni religione congregari duos Theologos , quidam tacebant , nonnulli vituperabant & vltimo cōcluserunt vt destrueretur. Vnus solus ordinis sancti Dominici illis contrarius erat , sed illum male habebat quod pauperrimum esset , & interim dicebat non ita statim esse destruendum , sed melius considerarent,& quod adhuc satis temporis haberent , vt destrui possit , & quod talis casus ad Episcopum spectaret & alia similia : & hoc multum iuuit , quia considerando illorum furiam , mirum est quod statim non destruxerint. In summa monasterium remanere debebat , quia ita Domino placuit , contra cuius potestatem omnes isti parum poterant. Allegabant suas rationes & bono zelo moueri videbantur , sine eo quod Deum offenderent : sed Deus voluit vt ego paterer , & omnes qui huic negotio fauebant , vnde maximas sustinebant persecutio[n]es , fuit populus ita commotus , vt de alia re non loqueretur , omnes me contemnebant , quandoque Prouinciale[m] adibant , alij ad monasterium currebant. Ego verò nullam sentiebam penam ex omnibus , que de me dicebantur , non secus atque nihil scirem , parum tamen timebam ne destrueretur. Interim tamen affligebar cum illi qui me in hoc negotio fideliter iuuerant eorum existimationem perderent , vbi tunc Dominus mihi dixit: *Non sis tu quod ego sum omnipotens ? De quo tu times ?* Et me reddit securam quod monasterium nullo modo destrui deberet de quo remāsi admodum

T s conso-

consolata. Miserunt ipsi ad Concilium Regium  
vbi scire voluerūt quo modo factum esset. Hinc  
magna orta est lis, & cum illi ad Aulam Regis  
proficisciabantur, etiam fuisse necessarium, vt  
aliquis ibidē nomine monasterij comparuisset,  
verum pecuniæ deerant, ita quod nesciuem  
quid tentare deberem. Prudentia diuina fuit  
quod nunquam Prouincialis mihi mandauerit,  
vt hoc negotium intermitterem, vt qui bonis  
omnibus operibus faueret, qui licet non adiu-  
uaret, nolebat tamē se opponere, nec licentiam  
eo proficisci dedit, quo usque totius rei vi-  
deret euentum. Moniales ibi sole manebant &  
plus suis orationibus efficiebant quam ego soli-  
citando. Priorissa verò mihi mandauit ne me  
amplius in hoc negotio intricarem. Adij Domi-  
num & dixi. O Domine monasterium istud est  
tuum, modo cum nullus sit qui hoc negotium  
tractare & promouere possit, tua Maiestas exe-  
quatur. Oportunè accidit vt sacerdos quidam  
qui me semper iuuerait eius perfectionem desi-  
derans, ad aulam sit profectus, volens certior  
fieri de eo quod ibi ageretur, faciendo quicquid  
posset vna cum nobile illo de quo prius dixi.  
Manifestè appetit quod Dominus hunc sacer-  
dotem iuuare voluerit, ille enim solus omnibus  
se se opposuit, & ille erat qui primo venerabile  
sacramentum in illo monasterio posuerat. Po-  
stea verò dicere cœperunt, quod si monaste-  
rium haberet prouentus facilius se velle con-  
sentire, ego vt quæ ex tot molestijs esse defati-  
gata,

gata iudicabam non fore inconsultè factum  
prouentus acceptare, quousque rumores popu-  
li sedarentur, & postea illos relinquere cogi-  
tando quod forte ita vellet Dominus postquam  
negotium aliter determinari non posse videre-  
tur, nisi prouentus acceptaremus, & de eo ita  
tractare volebant. Verum antequam incipe-  
rent, manendo in oratione, dixit mihi Dominus  
ne in eo consentirem, futurum enim esse vt ac-  
ceptando prouentus non permetterent, vt ulterius  
progrederetur. Eadem nocte apparuit mihi S. Pater Petrus de Alcantara qui iam obierat,  
manifestando mihi gloriam quaeruebatur & di-  
cendo ne prouentus acceptarem, & statim dis-  
paruit. Et antequam moreretur mihi scripsit se-  
multum lætari intelligendo monasterij funda-  
tionem esse cum multorū contradictione: quod  
signū erat quod in eo loco maximè deberet in-  
seruiri Domino Deo, ex quo Dæmonium in-  
tantum laboraret ne fiat. Cum itaq; ciues non-  
nihil placati essent, casu superuenit Pater ille  
sancti Dominici de quo prius, tanquam à Deo  
missus cum non haberet quod perficere debe-  
ret, vt mihi retulit, hictantum effecit uti Pater  
Prouincialis mihi licentiam dederit eundi ad  
monasterium nouiter extructum vna cum ali-  
quot alijs. Noster aduentus magnam attulit  
monialibus illis nouiter receptis cōsolationem,  
& particulariter mihi desiderando vt diuinum  
officium ibidem perageretur, atque instrueren-  
tur, orationibus in Ecclesia vacādo. Antequam

mona-

monasterium ingrederer stando quasi in extasi  
vidi Christum magno cum amore me recipien-  
tem imponendo mihi coronam. Alia quadam  
vice in choro post Completorium manendo vi-  
di nostram Dominam, maxima cum gloria, albo  
indutam mantello, sub quo nos omnes protege-  
re videbatur. Quando incœpimus diuinum ce-  
lebrare officium, magna creuit totius populi de-  
uotio. Recipiendo plures moniales Dominus  
ciuium corda mouit, ita ut qui nos prius perse-  
querentur, magis nobis fauerent & eleemosy-  
nas contribuerent, approbando, quod tantope-  
re vituperauerant; & sic paulatim ab incœpta  
lite desistebant, dicendo opus fuisse diuinum,  
postquam videret quod Dominus in tanta per-  
secutione voluerit, ut effectus subsequeretur.  
Nunc verò tantā eius habent ciues curam elec-  
mosynas subministrando ut sine eo quod petant  
vltro abundanter mittant: vnde nobis quoad vi-  
ta sustentationem nihil deest, & spero in Domi-  
no quod ita erit semper, quia cum paucæ sint,  
quæ faciant quod debent, concedēdo sua Maie-  
stas gratiam ut faciant, maneo secura quod nihil  
deerit, quia Dominus illarum curam habebit,  
sicuti hactenus habuit. Maximam nunc hic sen-  
tio consolationem, cum nostra hæc sola sit in-  
tentio, ut in via Domini progrediamur, solitu-  
do nostra est consolatio. Regulam sancte & glo-  
riosæ virginis de monte Carmelo obseruamus  
sine aliqua relaxatione, prout cum summo ri-  
gore ordinauit Pater Hugo Cardinalis de sancta  
Sabina,

Sabina, data anno millesimo ducentesimo quadragesimo octauo, anno quinto Pontificatus Innocentij quarti. Carnem nunquam manducamus nisi in casu necessitatis: per octo menses ieiunium obseruatur, & reliqua omnia secundum primæ regulæ institutionem. In multis videtur monialibus minus stricta, & ideo multa alia faciunt, quæ sunt maioris perfectionis.

Similia obseruantur in alio quodam monasterio quod beata illa construi in Alcala curauit, de qua ante mentionem feci, cui similes persecutio[n]es non defuerunt: faxit Dominus ut omnia fiant ad eius maiorem gloriam & gloriose virginis Mariæ cuius habitum portamus, Amen.

## C A P. XXXVII.

*In quo describit effectus, qui remanere solent quando Dominus alicui suum fauorem concedit.*

**N**O n admodum libenter v[er]terius progedior, referendo gratias mihi peccatrici à Domino concessas, imo videor nimis multa dixisse vt credantur. Sed vt Domino obediam, qui mihi hoc præcepit, & tuæ Reuerentiæ, dicam nonnulla ad suæ diuinæ Maiestatis gloriam, vt illa pro quorundam salute profint, vidédo quod mihi peccatrici eiusmodi gratiam singularem concederet. Et quid non faciet illis, qui in veritate & sinceritate cordis suæ Maiestati inseruiunt, posteaquam etiam in hac vita eiusmodi

pignus

pignus dare soleat? In primis itaque sciendum  
est circa gratiam quam Dominus solet animæ in  
hac vita existenti concedere , quod aliquando  
sit maior quandoque minor , quia in aliquibus  
visionibus tanta conceditur gloria, gustus & cō-  
solatio, vt mirum in modum aliam transcendat  
& superet, & quandoque in raptu tanta est , vt  
ulterius nihil in hac vita videatur desiderari  
posse. Et ipso facto tunc anima aliud non desi-  
derat. Itaque postquam Dominus voluit , me  
cognoscere differentiam, quæ est inter gloriam  
qua beati in cœlo fruuntur , & inter illam quæ  
etiam hic conceditur, satis bene conspicio quod  
neque sit terminus eius , quæ hic datur, cum sit  
magna , interim tamen dico quod si ex duobus  
vnum eligendi mihi daretur optio. An scilicet  
potius in hac vita permanendo vsque ad finem  
mūdi in maximis miserijs & molestijs, quo pau-  
lo maiorem gloriam consequi possem , vel sine  
aliqua molestia nunc moriendo paulo mino-  
rem: eligerem sine aliquo dubio omnes mole-  
stias & miserias pro minimo gloriæ augmento,  
quo maiorem Maiestatis diuinæ cognitionem  
consequi possem , ex cuius cognitione eius au-  
getur in nobis amor ad maiorem Dei omnipo-  
tentis laudem & gloriam. Non tamen propterea  
hoc dico, quod me fælicissimam iudicarem , si  
in infimo essem paradysi loco , cum infernum  
promeruerim , magnam enim mihi in hoc Do-  
minus præstitisset misericordiam , & faxit vt eo  
vadam & mea infinita non respiciat peccata.

Quod

Quod dico ita est, licet enim adhuc multa adiuuante Dei gratia pati deberem, nihil tamen prætermittere vellem: cognoscendo meam miseriā, vt quæ ob meam culpam omnia perdid̄eram. Notandum præterea est quod in aliquibus visionibus & reuelationib⁹ anima mea maximo cum lucro & fœnore remanserit. Videndo enim Dominum nostrum Iesum Christum, eius in me usque in hodiernum diem infinita remansit pulchritudo impressa, ex qua visione mirificè, eius in me amor creuit, nam licet cognouerim ipsum esse Deum, etiam hominem esse videbam, qui ineffabili sua pietate, humanam imbecillitatem redimere & restaurare per suum aduentum dignatus est. Secum vti cum amico tractare possum, cum sit Dñs omniū, & non cum eo proceditur, vt cum illis qui hic pro Dominis habentur, quorum authoritas ab alijs dependet, qui vt regnare valeant ab alijs habent. Sed tu ô Domine qui es omnium Regum Dominus & Rex, regnum tuum non est armis instructum, sicuti est illorum: cum tuum sit infinitum, tantummodo enim tuam personam considerando ex magna tua Maiestate demonstras, quod solus omnium sis Dominus, licet nullos habeas milites vel aulicos, qui te concomitantur, vbi si hic Rex solus incederet, vix pro Rege agnosceretur. Vnde ô Domine quis tuam hic maiestatem representare poterit, sed magis tuam humilitatem & amorem quem demonstras admiror, cum in omni re tecum tractare & loqui possumus, si alioqui

alioqui tuam maiestatem non offendendo, voluerimus. Ex eiusmodi visione maxima sentiatur utilitas, licet aliæ multo maiores in anima relinquantur quando illuminatur, quæ ex effectu cognoscuntur: verum aliquoties vult Dominus, ut in tenebris maneat, & hanc lucem nō videat, vnde non mirum si tunc peccator prout ego sum multum timeat. Vix præterierunt octo dies, quibus videbar extra me ipsam esse, nec cognoscere poteram quantum Deo pro gratijs mihi concessis debebam, in tantum enim erat anima mea obtenebrata, & nescio quibus cogitationibus licet non malis occuparetur, & eram ad beneficiendum indisposita, vnde delectabar videndo animæ meæ miseriam quando Dominus in illa non operatur. Satis apparet quod anima sine Dei fauore in tali statu remanere non potest, & licet ligna apponat & faciat ex parte sua quod potest, ignis nihilominus amoris Dei sine ipso non ardebit. Magna in eo Dei relucet misericordia cum quidem videatur fumus, ut sciamus quod totaliter ignis non sit extinctus, quia Dominus denuo illum accendit, ita quod licet anima laboret ligna accommodando plus nihilominus defatigari videatur. Vnde credo melius fore, ut se Deo committat cum ex se nihil possit, & ad alia opera meritoria attendat, quia forsitan Dominus ipsi orationem ademit, ut per experientiam seipsum cognoscat, & quam parum ex se ipsa possit. Certum est quod hodie cū Domino magnam habuerim consolationem &

ausa

ausafui de sua dolere Maiestate dicendo, ô Domine Deus non tibi sufficit, ut sim in hac misera vita, in qua omnia propter tuum amorem sustineo: & crucior cū te frui non possum, & insuper te abscondis, quomodo hoc tuæ conuenit misericordia? Quomodo hoc tuus in me amor sustinere potest? Vtique credo Domine si aliqui possibile esset ego me à te absconderem, sicut tu te à me abscondis, sed credo quod hoc propter tuum in me amorem minimè permitteres, tu. n. mecū manes & semper me vides. Sed hoc ô Dñe ferendum esse nō videtur quod te abscondas ab illa quę te in tantum amat. Contigit quod hæc & similia dixerim, non considerando quām (respectu illius quod promerueram) exiguus fuerit inferni locus quem experta eram. Verum amor fecit ut extra me ipsam raperer, nihilominus eiusmodi proferebam lamentationes, & Dominus patienter sustinuit, sit in æternum benedictus, Amen.

## C A P. XXXVIII.

*In quo singulares quasdam refert gratias ipsi à Domino factas, quedam secreta cœlestia demonstrando, nec non visionum & reuelationum quarundam effectus, quos in anima operabantur.*

**Q**UODAM die vesperi cum satis essem indisposita, me excusare volui quo minus orationem facerem: hinc rosarium accepi, vt ha-

V berem

berem in quo viua voce occuparer, paulisper sic manedo, tanto cum impetu rapiebar, ut non potuerim resistere: videbar in cœlo posita, ibique Patrem meum nec non matrem videbam. Dubitabam ne forsitan aliqua esset illusio, licet mihi non videretur: unde nesciui quid mihi faciendum esset, pudebat enim me illud meo referre Confessario, non quidem per humilitatem meo iudicio, sed ne irriderer: de me dicendo. Ecce alius nouis S. Paulus, vel Hieronymus apparuit qui dignus sit secreta cælestia videre, vel similia, hinc mihi lacrymæ die ac nocte. Tandem licet satis timerem, meo confessario retuli; quia nunquā audebam aliquid ex timore celare, nihilominus plurimū mihi displicuit eiusmodi gratiam manifestare. Qui videndo me magnopere afflictam, multa bona mihi referendo, me consolari conabatur. Prædictam gratiam sæpius mihi Dominus postea præstítit, & multa secreta ostendit. Utinam minimam eorum partem que vidi referre possem ut intelligerer. Et primo quantum ad lucem quæ ibidem est, tanta est differentia ut claritas solis in eius comparatione obscura videatur. Eo nostra non pertingit imaginatio, ut illam describere possit, aut demonstrare quomodo lux illa sit, omnes enim sensus gaudebant, & tanta cum suavitate delectabatur ut illam exprimere minime possim, unde iudico melius fore, ut de eo taceam fui in illa suavitate alia vice ultra horam cum Dominus secreta mirabilia mihi demonstraret, & videtur quod à me non

non discesserit, dicendo: Considera filia quanta  
sint, quæ illis qui contra me sunt dimitto, & non  
intermittas quin illis hoc dicas. O Domine De<sup>r</sup>  
quam parum ipsis mea proderunt verba, qui  
per mala ipsorum opera sunt excæcati, nisi tua  
diuina Maiestas illos illuminauerit, non nulli ta-  
men o Domine quos tu illuminare dignatus es,  
multum ex cognitione magnitudinis tuæ profe-  
cerunt. Sit nomen tuum in æternum benedictū.  
Maximæ profecto sunt gratiæ quas Dominus il-  
lis concedit qui eiusmodi habent visiones, mul-  
tum enim prosunt, & efficiunt ut quis ardua li-  
benter patiatur: cum nihil sit in hoc mundo  
quod illi placeat. Gratia verò de quibus modo  
dixi, non fuerunt, meo iudicio tam magnæ,  
sicuti illæ quas nūc referam, idque propter ma-  
xima bona quæ mihi inde prouenerunt, vna  
cum quadam in anima mea fortitudine, quæ si  
singillatim considerentur sunt tam magna, vt  
nulla cum eisdem fieri possit comparatio. Quo-  
dam die in vigilia Pentecostes ad partem quan-  
dam declinando ubi quandoque officium dice-  
re solita eram, legere incœpi librum Certosini  
supra idem festum, & in eodem legendō signa  
sancti spiritus, quæ habere consueuerunt inci-  
pientes, proficientes & perfecti, & manendo in  
eiusmodi consideratione, magnus mihi euenit  
impetus, eius causam ignorans, anima mea vi-  
debatur à corpore velle separari, eo quod tanti  
boni capax non esset, impetus in tantum erat ex-  
cessivus, vt me iuuare non potuerim: eratque ab

alijs admodum diuersus, naturales vires ita deficiebant, vt neque stare aut sedere potuerim. Eo modo remanendo supra caput meum vidi columbam diuersam & maiorem illis quæ hic sunt, aliæ enim eius non erant ex plumis, sed ex certis conchis mirabilem emitentes splendorem, & per spacium vnius Aue Mariæ volitabat. Ex qua visione remansit anima mea admodum consolata, & ita in Deo absorpta ut nesciuierim præ nimio gaudio quid facere deberet. Sit Dominus in æternum benedictus, Amen.

Alia quadam vice eandem vidi columbā supra caput cuiusdam Patris Sancti Dominici, & eius splendor multum se extendebat, vnde intellexi quod multas animas esset lucraturus, super eundem vidi nostram Dominam aliás, pallium album extendentem, hic Pater multum iuuit ut hoc monasterium fabricaretur, & in magna vixit pœnitentia & sanctitate, qui dum dies mortis eius appropinquaret vidi præsentem S. Thomam, vt retulit quidam frater, qui tunc ei aderat, post mortem vero aliquoties mihi magna cum gloria apparuit.

Quadam nocte stando in oratione quædam mihi verba Dominus dixit, meam anteactam vitam pertiersam in memoriam reuocādo, ex qua non paruam concepi confusionem & pœnam, & licet cum rigore verba illa prolatā nō fuerint, in me tamen tantam causabant pœnam ut planè consumi viderer, & vnicum eiusmodi verbum plus iuuat eum in finem, vt nosmetipſos cognoscas.

noscamus , quam si nos ipsi per multos annos nostram consideraremus miseriam : tunc enim nobis quædam imprimitur veritas , qua nobis nostræ vanitatis affectiones repræsentantur. Post breve inde tempus spiritus meus ita fuit raptus, ut extra corpus esse viderer , vel ad minus ut non sciuferim me in eo viuere , tunc sanctissimam Christi humanitatem vidi , maiori cum gloria quam vñquam ante videram : repræsentauit se mihi per quandam notitiam admirabilem & claram , qualiter erat collocatus in sinu Patris , & quomodo fuerit minime dicere possum. Ex ea visione remansi stupefacta, ut per aliquot dies non potuerim ad mē redire. Hanc visionem sæpius vidi , & est meo iudicio omnium maxima, quæ mirabiliter animam purificat , & annihilat omnia huius vitæ desideria.

Alia quadam vice eundo ad communionem vidi oculis animæ multò clarius quam si oculis corporeis vidisset, duos dæmones in figura abominabili, videbantur cornibus guttur sacerdotis circumdare, nihilominus in eius manibus vidi Dominum cum Maiestate. Vnde satis apparabat quod ille sacerdos Dominum offenderat atque in mortali esset peccato.

O Domine Deus quale quæso est spectaculum tuum videre pulchritudinem inter figurastam horribiles. Ex eiusmodi visione ita fui perturbata, ut nesciuferim quomodo potuerim cōmunicare. Remansi magno cum timore, dubitando num esset visio illa à Deo. Dixit mihi

tunc Dominus, vt pro illo orarem sacerdote, quodque sua Maiestas hoc permiserit, vt virtutem verborum consecrationis cognoscerem, quodque propter malorum vitam minime desinit esse in sacramento, modo cum debita intentione verba consecrationis proferantur. Exinde cognoui qualiter sacerdotes alijs meliores esse deberent, quamque sit horrendum indignè hoc suscipere sacramentum, & quomodo Dæmonium sit Dominus animæ in peccato mortali existens. Ex hac visione magnam acquisiui utilitatem dum cognouerim, quantum Deo debebam, sit benedictus in æternum.

Quadam vice contigit vt cuidam persona morienti adesse, malæ vtiique vitæ prout intellexi, licet in aliquibus vitam emendasse videtur, duobus annis infirma permanxit, sine confessione moritur, mihi aliud nihil persuadendo, quin saluaretur. Attamen interim dum vestitur, magnam vidi Dæmonum multitudinem, corpus arripiendo, iustitiam de eo exercendo, & vngulis ferreis distrahendo, verum quādo cum honore, & ceremonijs solitis ad sepulturam defertur, & diuinum fit officium nihil tale apparet. Posito verò corpore in sepulchro, magna statim dæmonum adfuit multitudo, vt illud tollerent, quod cum viderem mansi attonita, & dissimilabam non secus ac si nihil vidisssem; ex qua visione aperte gratiam Dei cognoui, qui mea tantis malis liberauit. Circa hanc materiam ut breuior sim ynum adhuc referam. Quidam Pa-

ter qui

ter qui in hac Prouincia quandoque Prouincialis fuerat moritur in alia Prouincia , in officio Provincialatus, cui multum ob eius præclaras virtutes & multa opera bona in me collata debbam. Et quia viginti annis in prædicto officio cum cura animarum , quæ solet esse admodum periculosa, vixisset, de eius salute solicita eram, contuli me ad quoddam oratorium illi offerendo totum illud quod in vita mea bonum licet exiguum fecisset, supplicando, ut sua Maiestas supplere dignaretur quod in purgatorio solendum restaret, interim dum meliori quo poteram modo Dominum pro ipso orarem, videbatur eius anima ex profunditate terræ prodire, atque in cœlum maxima cum lætitia tendere.

## C A P. XXXIX.

*Prosequitur singulares gratias sibi à Domino concessas.*

**Q**UODAM tempore satis Domino importuna eram, rogando ut cuidam personæ cui multum obligabar & compatiebar, visum iam pæne amissum restitueret, timebam tamen interim ne me Dominus propter peccata mea exaudire dignaretur. Apparuit mihi prout alias sèpius manus suæ sinistræ vulnus mihi ostendendo, ex qua manu sua dextera clavum in ea fixum, vñacum carne non sine maximi doloris repræsentatione extrahere videbatur: ex qua visione magnam habui compassionem. Et mihi dixit se facturum quod petieram, & infra octi-

duum visum recuperavit, & suæ Maiestati gratias egi.

Ante aliquot dies ex Roma fuit ablatum breve Apostolicum, in quo determinatum fuit ne hoc monasterium prouentus acceptaret: & sic omnia non sine infinitis molestijs & contradictionibus conclusa fuerunt, vnde summopere consolata Deum laudo, quod hac in parte meo dignatus sit vti ministerio: cum videam ad nos confluere adolescentulas virgines à Domino illuminatas, vt hic perpetuò vbi viuimus sine prouentibus includantur, omnia relinquendo, & seiphas Domino Deo in sacrificium offerendo, in quarum comparatione confusa remaneo, & ita coram Deo comparebo cum videam qualiter me longè in oratione superent, & plus tempore trium mensium proficiūt quam aliis quispiam in viginti annis, sed prosequamur visiones quas referre incœperam.

Quodam tempore orationi insistendo, videbar in quodam campo esse sola, & circum circa ex omni natione homines armatos, volentes me lädere, ego verò videns, me mortis periculum euadere non posse, & neminem inueniens, qui ex parte mea staret multum affligebar nesciens quid factō opus esset, in cœlum oculos leuavi, & videbar Christum non quidem in cœlo videre, sed in loco eminentissimo manus suas versus me extendentem; ex qua visione confortata illos armatos non timui, qui etiamsi me lädere tentassent nihil effecissent. Visio autem iam dicta

dicta sine vtilitate non fuit , cognoui enim statim quid sibi vellet, denotat namque huius mudi militiā in qua præparata suntarma , vt anima per ea lædatur ; non solum ab illis qui parum Deo inseruiunt, sed etiam ab amicis & parentibus à quibus ad summas redigimur quandoque angustias, putantes bene facere in quibus anima offenditur.

Quodam tempore cum ita essem cōturbata & inquieta vt consuetum orationis exercitium persoluere non potuerim , & considerando me peccatricem: & animam meam obfuscatam, dubitare incœpi num gratiæ mihi à Domino concessæ illusiones essent, intali afflxione existens Dominus mihi dixit ne affligerer, ex quo interim dum in hac mortali viuimus carne nihil stabile foret, bonamque illam esse militiam quam præmium sequitur immortale & eternum. Quæ verba cum quadam videbatur dicere compas- sione me summopere alijs verbis confortando, & amore in me suum demōstrando dicebat: *Gia tu sei mia, & io son tuo: Tu iam es mea, & ego sum tuus, & ego ni fallor dicere solita sum: Che mi si da signor mio à me, di me, se non di voi?* Verba Do- mini prædicta simul & fauorem in me & con- fusionem operabantur , considerando quæ & qualis ego sum.

Accidit quandoque vt communicandi tan- tum habuerim desiderium, vt illud exprimere minime possim. Quodam die mane ita pluit vt impossibile videretur domum exire , nihilomi-

V s nus

nus ita illud in me crescebat desiderium , vt si lancea ante pectus meum posita fuisset videtur quod per eam transiuisse quanto magis per pluuiam. Ecclesia ingressa in extasim rapta fui, vt videretur cœlum apertum , & licet ibi diuinatatem non viderim , cognoui tamen eam ibi esse, sed maximam ibi Angelorum multitudinem maiori quam unquam cum pulchritudine conspicere videbar. Mihi persuadebatque fuerint Cherubim & Seraphim, cum fuerint in gloria differentes. Gaudium illud quod tunc sentijs scribi, aut dici non potest, sed neque imaginari nisi ab eo qui probasset: & quicquid desiderari potest, ibidem esse cognoui. Communicabam tunc quidem atque in sacro permansi & nescio quomodo remanere potuerim: & ex horologio animaduerti quod in predicto raptu per duas horas permanserim. Mirabar cum postea sentirem verum Dei in me amorem desuper venientem, cuius quandoque ne scintillam quidem habere possum licet cupiam eumque procurem, vt habeam. Videlur penitus omnem veteris hominis tepiditatem, miseriam, eiusque defectus consumere, in modū phœnicis, ex cuius combustis cineribus alia nascitur: Anima enim tunc remanet omnino fortis & alijs prædictis desiderijs , vt videatur multum à se ipsa differre, & nouam puritatem acquisuisse per quam de nouo suæ Maiestati inferuire cupit, & tunc supplicando, vt sua Maiestas id in me perficere dignaretur, mihi dixit, Bonam fecisti similitudinem , fac vt semper melior fias.

Alia

Alia quadam vice dubitando num eiusmodi visiones à Deo essent nec ne, apparuit mihi Dominus & cum rigore dixit. O filij hominum vsque quo eritis duri corde? & quod hoc in me solum examinarem, si ego plene me ipsam ipsi deuouerim vel non, & quod considerarem amorem qui indies crescebat, ex quo facile experiri possem Dæmonium non esse vel aliquam illusionem, & quod nullo modo dubitarem, ipsumque non permissurum me illudi. Ex hac exclamatione magnam sentij pœnam, verum Dominus magna cum teneritudine mihi dixit ne molestarer, quodque sciret me paratam qualia- cunque pro eius amore sustinere.

Dixit mihi præterea me male facere dubitan- do an fuerint eiusmodi visiones à Deo, cum et- iam à multis id mihi dictum esset.

Quodam die Assumptionis beatissimæ vir- ginis, hanc mihi gratiam, in extasi Dominus ex- hibere voluit ut mihi repræsentaretur, quanto cum gaudio & solennitate in cœlum assumpta fuerit: & quomodo istud fuerit nescio explicare nisi quod spiritus meus maximam senserit læti- tiam, vnde maiori, cum desiderio remansi inser- uiendi beatissimæ virginis.

Stando quodam die in Ecclesia Societatis Ie- su, & eorum fratres communicando super capi- ta eorum vidi præciosum pallium, quod cum alijs communicarent non vidi.

*Prosequitur referre gratias ipsi à Domino concessas ad multorum instructionem, quæ eius principalis fuit intentio, ultra obedientiam ex qua hæc describit. In hoc capitulo vita sua discursum absoluit, sint omnia ad gloriam & laudem Dei omnipotentis Amen.*

**Q**UADAM vice orationi insistendo tantum sentij delectamentum, ut ( tanquam eiusmodi bono indigna ) cogitauerim me potius promeruisse illum inferni locum quem videram, & modum quo me ipsam in eo videram nunquam obliuioni tradam: Ex prædicta consideratione anima mea summo amore accensa fuit, & eo modo spiritus meus raptus fuit, ut referre impossibile sit. Videbar posita in quadam maiestate in qua quandam intellexi veritatem quæ est complementum totius veritatis, non possum dicere quomodo id fuerit, quia nihil vidi. Dixit mihi & nescio quis, sed satis intellexi eandem fuisse veritatem.

Non est parum quod pro te facio, & vnum ex omnibus est quia multum mihi debes, & omnem damnum totius mundi ex eo prouenit, quod non intelligatur scripturæ veritas, cuius ne capillus quidem præteribit. Respondi. Mihi videtur quod semper illud crediderim quod omnes fideles credunt. Dixit mihi. Ahime filia, pauci me cum veritate amant, si me amarent, secreta

creta mea ab ipsis non celarem: Nouisti tu quid sit cū veritate amare? Est cognoscere omne illud esse mendacium q̄ mihi displicet, & clarè videbis quod ad id non attendis, quod animam tuam iuuat: Et ita est, sit Dominus benedictus, nam ab illo tempore usque in hanc horam præsentem comperi omne id esse mandacium & vanitatem, quod pro Dei ministerio non fit. Et nescio exprimere quomodo id intelligo, sed neq; compassionem, quam habeo erga illos qui circa hanc veritatem in tenebris manent. Hic mihi Dominus aliquid singulare dixit maximi fauoris, & nescio quomodo hoc fuerit, quia nihil vidi, sed remansi magna cum constantia serio omnibus meis viribus conando adimplere etiam minutissima quæque Sacræ scripturæ. Remansit in me veritas quædam cum ista veritate, quæ mihi repræsentabatur ( sine eo quod sciuerim quomodo aut quid ) ita impressa, ut nouum haberim erga Deum respectum & reuerentiam, quia minima notitia suæ Maiestatis est talis, vt dici non possit, & cognoscitur esse quid magnū. Remansit in me magnum desiderium non dicendi nisi verum, ex omnibus quæ in hoc mundo tractantur, vnde mihi molestum fuit diutius in hoc mundo viuere. Veritas ista de qua loquor data mihi fuit, vt intelligerem, in se ipsa esse veritatem, quæ est sine principio & fine, & omnes aliæ veritates ab ipsa dependent: sicuti omnes alij amores ab isto amore, & omnes aliæ magnitudines ab ista magnitudine, licet & hoc obscure dictum

dictum sit respectu claritatis qua Dominus voluit ut intelligerem, & manifestatur istius Maiestatis potentia, posteaquam in tam breui temporis spacio tantum relinquit effectum: & talia in anima impressa, nam loquendo mihi Dominus aliqua maiori cum claritate intellexi, quam quæ verbis mihi dicebantur & melius quam si doctissimi quique me docuissent, in me talia non praestitissent. O magnitudo infinita & Maiestas diuina. Nunc ô Domine cum sis omnipotens, qui talia praestas, considera cui tantam tribuis gratiam. Non meministi ô Domine quod mea anima fuerit mendaciorum abyssus, & propter meam culpam vanitatum pelagus, posteaquam enim mihi naturalem timorem concederis à mendacijs abstinendi, ego meipsam in multis mendacij exhibui. Quomodo ô Deus meus tot fauores & gratiæ mecum quæ eiusmodi non promerui conuenire possunt? Quodam tempore stado in choro cum alijs, statim anima mea ad se conuersa, videbatur esse quoddam speculum sine humeris, lateribus, sine altitudine & humilitate; quod omnino clarum erat, & in centro istius speculi mihi Christus Dominus noster repræsentabatur, eo modo ut videre solita eram. Videbatur mihi quod in omnibus animæ meæ partibus illum clare viderem, prout in speculo, & nescio quomodo totaliter imprimeretur cum quadam communicatione amore plena, ita ut exprimere non possim. Scio quod visio illa mihi multum profit quotiescunque recor-

recordor, particulariter finita communione. Visio prædicta efficit ut intelligerem, quod cū anima in peccato remanet mortali, aliud non sit quam speculum illud tenebrosa obscurare nube, & efficere ut nigrum sit, ita ut non possit Dominum animæ repræsentare, licet sit semper præsens, dando illi esse & viuere. Ulterius efficit ut intelligerem quod hæreses nihil aliud sint quam speculum istud confringere, quod sane multo peius est quam illud obscurum reddere: & modus quo illud videtur est valde differens ab eo quando id dicitur, quia difficulter dici potest ut intelligatur. Visio iam dicta multum mihi profuit, cum sit causa magni doloris eo quod mea culpa animam sapientius obscurauerim ita ut ipsum Dominum videre non potuerit.

Videtur mihi hæc visio utilis multis personis, ut discant in interioribus animæ Dominum meditari, cum sit consideratio, quæ magis afficit & fructum maiorem adfert, quam si exterius consideraretur, aut in aliquibus libris (qui de oratione tractant) descriptum, legeretur. Et ubi quærendus sit Deus docet glriosus Pater Diuus Augustinus quando dicit, quod neque in foro, neque in voluptatibus, neque in aliquo loco ubi eum quærebat, inuenierit, prout in se ipso: & hoc est manifestissimum melius esse, cum non sit necesse longè extra nos ipsos exire, in eo enim spiritus defat gatur & anima minori cū fructu distrahitur. Hic vñ præmonere volo, casu quo hoc alicui contingere quod plerunq;

in raptu

in raptu euenire solet: transacto scilicet tempore spacio quo anima unita manet, & absorptas potentias tenet: hoc namque parum durat, ut remaneat anima collecta, etiam in exteriori, cum non possit ad se redire, & remaneant due potentiae, memoria scilicet & intellectus quasi freneticæ & insensatae: hoc aliquoties in principio euenire solet, & credo quod hoc proueniat ex debilitate naturali, cum non possit spiritus potentiam sustinere, inde enim imaginativa debilitatur, & scio quod aliquibus contigerit, iudicarem ego pro tunc benefactum si orationem in aliud tempus differrent, ut quod perdididerunt recuperare possent, alioqui posset esse alicuius mali occasio, sicut per experientiam patet, hinc optimum est considerare quantum nostra complexio potest. In omnibus namque experientia est rerum magistra, & necesse est habere aliquem qui instruat, nam quando anima eodem peruenit, multa sese offerunt in quibus, ut cum alijs conferat necesse est, et si laborando non inuenierit, Dominus tandem non deerit, posteaquam me quæ sum peccatrix non dereliquerit, & paucos inueniri credo qui ad talem experientiam perueniunt, quam qui non habent, frustra videntur velle adhibere remedium, quod ad aliud non seruit quam ad molestandum animam & affligendum, quamuis & hoc Dominus acceptabit nihilominus iudico fore consultius, ut orationem ad tempus intermittent. Et si sunt mulieres cum earum confessario conferant modo expertes

pertes sint , plures enim inueniuntur mulieres quam viri quibus Dominus hanc gratiam conferre solet , quæ vt audiui à Patre Petro de Alcantara plus in hac via profecerunt quam viri , quod efficacissimis etiam probabat rationibus , quas vt hic referam iudico non fore necessarium.

Manendo quadam vice breui temporis spacio in oratione repræsentabatur mihi magna cū claritate , quomodo omnia in Deo videantur & sint , quod tamen describere non possum quomodo sit , verū id ipsum in anima mea impressum remansit : & dico hoc vnum esse ex præcipuis quæ in me contulit Dominus , nam maxima inde verecundia afficiebar , omnia mea peccata quæ vñquam feci in memoriam reuocando . Modus istius visionis tam est subtilis , vt intellectus eo peruenire non possit , vt aliquam faciat comparationem , interim dico diuinitatem esse sicuti adamantem per lucidum toto mundo maiorem , vel esse sicuti quoddam speculum eo modo vt in præcedenti dixi visione , saluo quod modus sit tam sublimis , vt illum exprimere non possim : & quicquid facimus in illo adamante videtur , cum sit quod omnia in illo includantur , cum nihil sit quod extra illam magnitudinem inueniri possit . Mirabilis res atque stupenda quod in tam breui temporis spacio tam multa coniunctim in eiusmodi perlucido & splendido adamante videantur . Omni sane commiseratione dignum quādo recordor qualiter tam

X

turpia

turpia ut erant mea peccata sese in eiusmodi puritate & claritate repräsentabant, in tantum confusa remansi, ut nesciuem vbi me abscondere. Utinam hoc bene ipsis declarari possit, qui enormia committunt peccata & obscena, ac cognoscerent ea minime occulta, quæ Deo in tantum non sine ratione displicant tanquam suæ Maiestati præsentia, ex quo vidi clarissime quā iuste quis infernū ex uno mortali peccato promeretur, nec non suam infinitam cognoui misericordiam, qui propter pœnitentiam dissimulat & sustinet. Ex quorum consideratione si modo pauesco, quid erit in die iudicij vbi cuncta apparebunt. Sit Dominus benedictus qui hactenus misericorditer tecum semper egit.

Quadam vice cum in magna esse quiete, circum circa Angeli esse videbantur, & supplicare tunc cœpi pro Ecclesia, vbi tum mihi significatum fuit quantum religio quædam ultimis temporibus proficere debeat & quanta cum constantia fidem defendere.

Quodam tempore prope venerabile sacramentum dicendo officium, quidam gloriosus sanctus mihi apparuit, cuius ordo aliquātulum defecit, in manibus magnum habuit librum, quem aperiens mihi dixit, ut magnas quasdam & intelligibiles legerem literas, quæ sic dicebant. Temporibus futuris hæc religio florebit, & multos habebit martyres,

Alia quadam vice in choro tempore matutino sese ante me repräsentabant sex vel septem ex ista

ex ista religione, gladios in manibus habentes. Persuadebam tunc mihi quod hoc signo ostendere vellent qualiter Deus per ipsos fidem esset defensurus, nam stando alia quadam vice in oratione rapiebar in spiritu & videbar in quodam esse campo ampio in quo magno cum feroore quamplurimi ex isto ne pugnabant, ventos in terram prosterne & multos occidentes, & videbatur pugna illa contra haereticos esse. Gloriosum istum sanctum aliquoties vidi quædam mihi dicendo & gratias agendo quod aliquando pro dicta sua religione orauerim, quodque me Deo commendare vellet. Ego non specifico religionem, si enim Dominus voluerit, ut sciat ipse manifestabit, ne alijs præiudicium fieri videatur, cumque unaquaque religio procurare debeat, ut in ecclesia Dei proficiat, utque in tanta necessitate in qua nunc est sancta ecclesia sincere Deo inseruiat, fælices profecto qui hoc procurando vitam finient.

Plures mihi peccatrii gratias contulit Dominus, quas ut referam nō iudico necessarium, sit in æternum benedictus, quitantam mei curā habuit. Quodam tempore stando in afflictione dixit mihi Dominus ne molestarer, cum in hac vita non possimus semper in eodem esse statu, & quod in ipso confidereim & non timerem, idque magno cum amore dixit. Ab illo tempore videtur quod nunquam senserim aliquam pœnam licet quandoque Dominus me pati permiserit, me enim ita consolabatur, ut illam non æstima-

uerim. Hinc sciat sua Reuerentia me nunc hic  
eomodo viuere, & rogo, vt pro me apud suam  
Maiestatem diuinam intercedere dignetur, vt  
me in cœlum conducat, vel gratiam illi in veri-  
tate seruieri tribuat. Cuperem vt quæ hic nō  
finelabore & temporis commoditate scripsi suę  
Reuerentiæ aliquo modo prodeßent. Optatissi-  
mus interim mihi labor effet, si quid hic quod  
ad Dei Opt. Max. laudem spectat contineretur,  
licet quę scribo à tua Reuerentia statim combu-  
rerentur, mihi nihilominus abundè satisfactum  
esse existimarem. Et si nihil boni continetur,  
consultè factum erit, vt bona quam de me con-  
ceperunt opinio in eblitionem deducatur, ve-  
rum si quid inerit boni quod pij & docti iudica-  
bant, laudetur & magnificetur Dominus, qui il-  
lud dictauit. Sua Maiestas diuina tuam Reueren-  
tiā conseruet & protegat semper, efficiatq; vt  
nō scribendo errauerim, cū non errādi sed obe-  
diendi desiderium perpetuo habuerim, Amen.

*Epistola B. Matris Teresæ scripta Patri suo Con-  
fessario ex cuius mādato præcedentia scripsit.*

Spiritus Sanctus sit semper cum tua Reue-  
rentia, Amen.

**V**T I Q V E credo extra propositum non esse,  
præsens hoc negotium tuæ Reuerentiæ  
commendare, eum in finem, vt illam mihi magis  
magisq; deuinctam reddam quò me Deo com-  
mēdat, fateri enim cū veritate debeo me maiore  
sensisse pœnam, gratias mihi à Domino cōcessas  
descri-

describendo, quam offensas per me contra suam Maiestatem commissas referendo. Quod ea cōditione ex mandato T.R. feci, ut sicuti mihi promisit, laceret si quid mali continetur, nam cum sua Reuerētia ad me mitteret, adhuc omnia quæ scripseram non reuideram, hinc fieri potest, vt nonnulla nō sint admodum bene declarata, idq; propter temporis breuitatē, quapropter ea quæ emendanda sunt, emendare non grauabitur, copiamq; fieri curabit ne manus mea cognoscatur, antequam ad Patrem Auilam deferri curet, hac enim intentione omnia scripsi, vt ipse reuideat, & discernat num per rectam viam processerim, interim in memoriam reuocet illi obligatam fore quę sibi animam suam commisit, vt & ego suā Reuerentiam vicissim Deo commendare valeā, illiq; prout cepit inseruiat, quo maiorem gratiā acquirere possit, ad gloriam & laudem omnipo-tentis, Amen.

*Hic liber prima vice scriptus fuit anno Domini millesimo, quingentesimo sexagesimo secundo, eundem per capita non distinguendo: postea verò multa quæ cōtigerunt adiunxit, referendo quomodo fundatum fuerit mona-sterium S. Iosephi de Auila, & per capita distinxit.*

Quodam die infra scripta Dñs mihi dixit.

**P**VT AS NE, filia, meritum in gustu consistere?  
Minime quidem, verum in amore, opere &

passione. Annon legisti quod S. Paulus semel tantum arcana cœlestia gustauerit, multa tamen & sæpius paſſus fuit. Annon vides vitam meam passionibus plenam, quodque semel tantum in monte Thabor gloriam meam ostenderim. Non tibi persuadeas, quando vides matrem meā inter brachia sua me amplectentem, semper fuisse gauisam. Non sane, nam quando Simeon hæc verba protulit. *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Tunc Pater meus cœlestis illi clare demonstrauit quantum pati deberem, Annon legisti q̄ p̄cipui sancti in deserto asperritam egerint pœnitentiam, ultra colluctationes aduersus dæmones & seipſos? nihilominus multo tempore sine aliqua remanferunt consolacione? Scias filia quod qui à patre meo magis amatur, tanto maiores recipiat molestias, quib. ipſi amor correspondet. In quo queso tibi maiorem possem demonstrare amorem, quām quod tibi illud idem quod ego pro me elegi etiam & tibi illud ipsum velim? Conspice mea in corpore vulnera, an vñquām cum tuo comparari dolore poterunt? Hæc est vera veritatis via, vt mecum perditionem in qua totus est mundus deplores, cum scias omnium cogitationes & desideria in contrarium tendere.

Quodam die dando me orationi, tantum capit is sentij dolorem, vt mihi orare impossibile fuerit, & tunc mihi Dominus dixit, ex hoc passionis videbis premium, nam licet tu, (cum in corpore sana non fueris) mecum loqui non potueris,

tueris, ego nihilominus tecum loquebar, nec nō  
fauorem meum tibi præstisti, quæ verba per ho-  
ram & medium mente reuoluens magnam sen-  
tij satisfactionem, & dolor capitispennis sese  
remisit: vnde postea semper magnum in me pa-  
tiendi sentij desiderium. Et Dñs adiunxit, vt se-  
rio in memoriā reuocarem, quę Apostolis dixit,  
scilicet. Non est seruus supra Dñm suum. Quo-  
dam die Palmarū sub finem communionis, remāsi  
ita eleuata, vt hostiam sumere non potuerim, q̄  
in ore aliquantis per timendo, mihi verè videba-  
tur os meum sanguine calido plenum, quasi re-  
center effusus fuisset, vnde mirabilem sentij sua-  
uitatem, vbi tum Dñs mihi dixit. Filiola volo, vt  
sanguis meus tibi prospicit, quem ego magno cum  
dolore effudi: eoq; tu cum suauitate frueris, ve-  
rum tibi pro ea delectatione, q̄ mihi præstitisti  
hisce diebus satisfacio. Hoc propterea Dominus  
dixit, quia præterierant plusquam triginta anni, q̄  
semper illo die quotiescumque poteram me me-  
liori quo poteram modo præparando, comuni-  
cauerim, videbatur enim mihi magna nimis Iu-  
dæorum contra Christum crudelitas, quando cū  
tanta gloria ipsi obuiam eundo, & recipiendo  
eum tam longe vt manducaret redire permise-  
rint, hinc ego omnem feci instantiam vt Domi-  
num hospicio reciperem licet indignum esset,  
mecumque remanere dignaretur.

Quodam die cum timore mecum reuoluēdo  
num in gratia essem nec ne dixit mihi Dominus,  
filia, lux à tenebris multū differt. Ego sum fidelis,

nemo damnabitur quin sciat: verum ille decipietur quicunq; propter gustus spirituales velit esse securus. Vera enim securitas, in bonæ conscientiæ testimonio consistit: & nemo sibi persuadeat, quod ex se ipso perseverare in luce possit, & sicut nemo impedire potest quin post lucem noctis naturalis succedat, sic in unico momento si me subduco minime in luce perseverabit, remedium enim ex gratia mea dependet, quo ut lucem retineat, vti debet. In eo namq; vera cōsistit humilitas vt q; anima ipsa possit & quid ego, clare cognoscat. Vide ne quæ ad mortalium spectant instructionem obliuioni tradas, verum diligenter ea describas.

Quodam die post octauas visitationis B. Mariæ virginis commendando Deo quendam meū fratrem in Capella de monte Carmelo. Dixi (ita cogitando) Domino, ob quam causam permittere fratrem meum in quodā loco vbi versaretur cum suæ salutis periculo? Credo Domine quod si aliquem tuum fratrem in simili viderem periculo, nihil intentatū relinquerem, quousq; eum inde liberasse. Tunc mihi dixit Dñs. O filia, filia, sorores meæ sunt in monasterio Incarnationis, & tu te detines? Itaq; animo considera quod ego volo, quia non est in tantum difficile, vt tu putas: per illam enim viam q; tu putas, perdētur, vbi per aliam, lucrabuntur, itaq; nullam facias resistentiam, magna enim mea est potentia.

Quodam die dixit mihi Dominus, tu semper petis molestias & ex altera parte illas fugis & reculas,

recusas, ego omnia dispono non secundum sensualitatis & debilitatis tuæ, verum voluntatis conformitatem. Confortare itaq;, vt coronam præparatam acquiras, videbis enim in vita tua religionem virginis admodum dilatatam. Hoc audiui à Domino in medio mensis Februarij anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo.

Quodam die in vigilia Pentecostes manendo in Capella Nazarethana monasterij S. Iosephi de Auila, quædam gratia mihi ante annos circiter viginti concessa repræsentabatur, vbi tunc magno spiritus impetu eleuabar: & Dominus mihi præcepit vt Patribus discalciatis ex parte sua diccerem, vt serio infra scripta obseruarent, quodq; obseruando eorum religio incremētum faceret, non obseruando verò deficeret. Primum erat vt eorum superiores vñiti remanerent. Secundò, quod, licet multa monasteria acceptaturi essent, pauciores tamen in illis habitarent. Tertiò, vt rarius cum secularibus cōuersarentur, idq; pro animarum salute. Quartò, vt potius operibus quam verbis Christi fideles instruerent. Hoc à Domino intellexi anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono, & quia verum est quod dico propria mea manu subscripsi.

Teresa de I E S V.

F I N I S.

*Omnia subiiciuntur censuræ, S. Romane  
Ecclesiæ Catholice.*

X J

I N

IN GRATIAM LECTORIS,  
declaratio supra epistolam lectori in  
principio scriptam.

**E**QVISITVS ab aliquibus, candide le-  
ctor, ut clarius quæ superius ad lectorem  
scripsi explicarem prætermittere non po-  
tui quin eorum satisfaciam petitioni, & primo quo  
ad Leonem qui in via ab ipso pigro conspicitur, de-  
sumpsisse cap. 22. Prou. ubi sic legitur. Dicit piger,  
Leo foris est, in medio platearum, occidendus  
sum. Item Prou. 26. leo in via est, & leæna est in  
itineribus, quæ ex sententia D. Chrysostomi ita in-  
telliguntur, ut timeat quis ad exercendas virtutum  
actiones in publicum progredi, ne foris antiqui hostis  
aduersitate grauius tetetur, vel à quolibet peruerso  
derideatur, conuictijs confundatur, iniurijsq; afficia-  
tur, hinc dicit, Leo foris est in medio platearum,  
occidendus sum, quasi dicere velit. Si ego virtutū  
opera foris ostendere cœpero, statim persecutio homi-  
num & spirituum comitatur immundorum: ten-  
tationibus eiusmodi ego resistere non valeo, & ideo  
multi cum exhortationis verbum audiunt, de dia-  
bolo conqueruntur dicentes se velle quidem iustie  
viam incipere, sed ne hanc perficere possint, à Satana  
impediri, & sic excusationes in peccatis querunt, &  
pruinam timido, à niue obruuntur, uti legitur Iob  
6. Qui timent pruinam, irruerunt super eos nix,  
nam qui hic pœnitentiam agere negligunt, severius  
postea in æternum punientur, pruina enim ex rore  
gelido nascitur, nec sit nisi immoto aëre et sereno, nix  
vero aquarum celestium spuma est, & cum tales ta-  
ceant & clament ipsorum ossa inueterascunt, hinc  
Propheta

Propheta Psalm. 31. Quoniam tacui, non confiten-  
do peccatum quo grauata mea erat conscientia, in-  
ueterauerunt ossa mea, quæ cum animæ virtutes  
per peccatum fractæ essent, in fractura & vetustate  
perdurando, eò periculosisior fractura facta est quo ve-  
tustior, quod enim senescit prope interitum est. In-  
ueterauerunt itaq; dum per præsumptionem & ia-  
ctantiam clamarem, & sic sanguis sanguinem te-  
tigit. Osee 4. peccatum namq; peccati causa, pon-  
derositate enim sua, si aliqui per pœnitentiam non  
deleatur, mox ad aliud trahit, per sanguinis enim no-  
men, peccatum designari solet. Psal. 50. Libera me  
de sanguinibus Deus Deus salutis meæ: à quibus  
si liberari velis cum ceruo fontem desidera aquarū,  
qui spiritu narium serpentes protrahere solet, eosq;  
occidere & comedere, ad eorumq; interitum inten-  
dere: caligantibus enim oculis ex cœnernis serpētem  
naribus extrahit & manducat, ad fontem properat  
& bibit, cornua projicit & totus renouatur. Itaque  
sicuti ceruus hausto veneno ad fontem aquarum ve-  
nire desiderat: Ita anima fidelis hausto peccati ve-  
neno, per pœnitentiam ad fontem divinæ essentiae in  
confessione sanctissimæ Trinitatis properet & refri-  
gerium contra peccatum inteneret. Comparatur enim  
vir iustus ceruo propter diversas eius proprietates  
quæ hisce versibus annoi antur.

Clinenatans portat, horat hydros, cornua mutat,  
Cor sensis offuscit, salit, & scit & inuenescit,  
Silvester, sapidus, viuax, velox, sine causa.  
Pes durus fulvisq; pelus, scenatio, factus,  
Pugnat ob voxores, fusapinguine squalens,  
Surdus dem sis, benectis auribus audit.

Proprietates omnes iam comprehensæ viro iusto  
compe-

competunt, nec non in vita B. Matris Terese inueniuntur Clue enim portat secundum illud Gal. 6. Alter alterius onera portate, idq; natans in hoc spacio mari quod est mundus. Iustus hydros vorat, peccata scilicet annihilando secundū illud Osee 4. Peccata populi mei comedent. Cornua mutat Rom. 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire in munditia & iniquitati ad iniuriam, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiae in sanctificationem, Cor iusti offescit, quando magis magisq; in bono solidatur. Durum enim erat cor Apostoli quando dixit ad Rom. 8. Certus sum quod neq; mors, neq; vita &c. poterunt nos separare à charitate Christi. Item Gloriamur in tribulationibus Rom. 4. Salit iustus ultra dinitiarum spinas, nec non luxuriæ lutum & foveā Esaiæ 35. Tunc saliet sicut ceruus claudus. Iustus sitit ut superius dictum est, insuper iuuenescit secundum illud ad Ephesios 4. Renouamini spiritu mentis vestræ, Col. 3. expoliantes vos veterem hominem & renouabitur vt aquilæ iuuentustua. Iustus est silvester, in montibus & excelsis habitans Psalm. 102. Montes excelsi ceruis, petra refugium herinacij. Est præterea sapiens Eccl. 49. In omni ore quasi mel indulcabitur memoria eius. Vixax, vita enim eius contemplativa hic incipit & nunquam desinit. Sap. 5. Iusti autem in perpetuum viuent. Velox. Eccl. 31. In omnibus operibus tuis esto velox. Sine cauda, sine operculo scilicet peccatorum per hypocrisim, secundum illud. 1. Pet. 2. Neq; velamētum habentes malitiæ libertatem. Pedem habet durum, i. affectum solidum. Abac. 3.

Ponet

Ponet pedes meos quasi ceruorum. Item pilum  
habet fuluum, i. carnem pallidam, secundum illud  
Poetae. Palleat omnis amans, color est hic captus  
amanti. Vnde Matth. 3. Iohannes erat vestitus  
pilis camelorum. Iustus insuper est venatio diaboli  
& malorum hominum Eccles. 3. Venatio leonis  
onager in eremo, sic & pascua diuitū sunt pau-  
peres. Multos habet foetus, i. multa opera bona:  
quorum matres sunt virtutes, Iud. 8. Habuit Hie-  
roboal septuaginta filios eo quod plures habuit  
vxores. Pugnat ob uxores pro virtutibus scilicet.  
Eccles. 4. Pro iustitia agonizare usq; ad mortem.  
Iustus fusa pinguedine, i. amissa deuotione squalit.  
Psalm. 10. Ossa mea sicut crevum aruerunt.  
Percussus sum ut fēnū, & aruit cor meum, quia  
oblitus sum comedere panem meum. Iustus sur-  
dus est, cum aures demittuntur ad temporalia, sed  
bene audit cum eriguntur. Esaiæ 50. Erigit mane,  
mane erigit mihi aurem. Item. Audiam quid lo-  
quatur in me Dominus. Optime igitur dicit.  
Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes a-  
quarum, ita desiderat anima mea ad te Deus,  
Proprietates itaque omnes nec non reliqua superius  
enumerata in vita B. Matris Teresæ ( optime le-  
ctor) inuenies, ex quibus eius anima fituit ad Deū  
fontem à quo omnia bona fluunt, ideo viuum quo  
nunc satiatur in gloria ēterna, ad quam nos perdu-  
cere dignetur, qui est benedictus per omnia secula  
Amen. Bene in Domino vale, & Deum pro me  
roga.

Fr. Antonius Kerbekius  
Prior indignus.

## ERRATA.

Tandem leg.eandem. A lin. 14. ex more. l.ex amore. p. 3. l. 9.  
aliquem. l.aliquam. p. 18. lin. 3. proficisciendi. leg. proficiendi. p.  
eadem lin. 18. voluebam. l.voueram. p.ead.l. obscurā. l. obscu-  
raueram. p. 19. lin. 11. ad. l. & p. 26. l. 25. emiserim. l. omiserim. p.  
32. l. 16. & in e.l. & in o.p. 39. lin. 12. quod. l. quos. p. 25. l. 11. aliter. leg.  
alisa. p. 48. ten pen. qui. l. que p. 56. l. 24. tractanda. l. tractando.  
p. 58. l. 8. sentiebant. l. sentiebam. p. 63. lin. 16. quia. l. quis. p. 69. l.  
26. mundabitur. l. inmundabitur. p. 81. lin. 28. discretioni. leg. dis-  
cretione p. 87. l. 14. & nam. l. & num p. 90. l. 14. pugill. l. pusill. p. 98.  
lin. 25. impressos. l. impressa. p. 105. l. 10. Non decipiuntur. (Non)  
videtur superfluum & hoc ex sequentibus appareat, attamen  
impressio Italica sibi habet pag. 106. lin. 3. verum. l. rerum. p. 111.  
lin. 24. Et. l. & p. 118. lin. 11. rexidorem. l. tepidorem. p. 124. l. 11.  
summus. l. somnus. p. 128. l. 7. magnum. l. magnam. p. 135. lin. 14.  
Et. l. & t. 145. l. 10. redeant. l. redeat. p. 146. l. 13. diff. l. dasfa. p. 9.  
247. l. 4. finit. l. scitur. 147. l. 18. denique. l. demq. p. 151. lin. 1.  
seruirem. l. seruir mi. p. 154. l. 26. accidentes. l. accedentes. p. 161.  
l. 15. & i.a. l. & vice. p. 203. lin. 23. somnicissim. l. somnissim. 205.  
lin. 4. malo. l. meo. ead. lin. 5. quis suam. l. quis nam. 215. lin. 28.  
potius. l. posens. p. 207. l. 12. anima. l. animum. p. ead. l. 20. amo-  
rem. l. amarem. p. 210. l. 13. concedent superfluum est. & vellege con-  
cessos. p. 211. l. 15. quietem. l. quietum. p. 235. l. 11. desideraram. l.  
desiderarem. p. 246. l. 11. tantum l. tantam. p. 223. l. 3. Cironeo. l.  
Cironeo. 220. l. 7. fatigari. l. satiari. p. 234. l. 18. imperatura. l.  
imperatura. p. 263. l. 22. relaxaretur. l. relaxaretur. p. 265. lin.  
25. Dom: no Deo. l. Dominus Deus. pag. 277 lin. 17. alia. leg. alia  
pag. 286. lin. 5.

Sov. tis JESV Paderb.

F I N I S.













Vitae  
S. Terre:  
Sec.

Th  
2482